



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio I. De conuenientia Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

34.	6	Quaest. 1.	De Incarnatione.	Art. 1. & 2.	
Christus patruit miracula in testimoniū suae diuinitatis.		suae diuinitatis. Ex his omnibus conficitur quod secundum rectam rationem credi debeat Messiam uenisse, eumque esse Deum & hominem. Consequenter prob. quia alioquin Deus genus humanū grauissimē decepsisset, si nimirum permisisset patri miracula ad imposturam probationem.	illud supponit. Videtur aptius dici posse D. Th. id nō quaesivisse, quōd hoc mysteriū rationibus naturalibus probari non posset, vt ex superioribus constat, sed solum posset solui argumēta, quae in contrariū posset obijci. Nā licet particulares scientiae non probent suū obiectum, sed supponant; sapientia tamē etiam suū obiectū probare potest: Theologia autem est sapientia, vt constat ex S. Th. 1. p. q. 1. art. 6. Confirmatur: S. Th. eadem 1. p. q. 2. tract. quaestione an Deus sit, qui tamen est Theologiae obiectum, ergo ex eo capite nihil obstat quō minus hīc quari posset, an Incarnatio esset possibilis.	Resp. Caietani.	Improbatur & alia adducitur.
Confirm.		Addi potest illius doctrinam planē repugnātem sensibus & insitae hominum cōsuetudini, receptam esse à plurimis sapientibus, potentibus, & prauuluisse non obstantibus minus tyrannorum eorumque tormentis, &c. ex quo potest colligi illū fuisse Deum, cuius potentiae nullus resistere potuerit.		D. Tho.	
		QV AESTIO I.	ARTICVLVS II.		
		De conuenientia Incarnationis.	Vtrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari?		
		ARTICVLVS I.			
		I. Vtrum cōueniens fuerit Deum incarnari?			
Bonitatis est se communicare. Dionys.		RESPONDET affirmatiue, quia conuenit bonitati se communicare, vt tradit Dion. cap. 4. de diuinis nominibus, id est, consentaneum est bonitati sese alijs communicare, ergo etiam consentaneū est summā bonitati sese summo modo cōmunicare, qui modus est per Incarnationem, cū per eam nō solum cōmunicetur rebus esse naturale, sicut fit per creationem, neque communicetur tantū creaturae quādam perfectio supernaturalis, sicut fit in iustificatione & clara Dei visione, sed communicetur creaturae ipsum esse personale diuinum; ita vt per Incarnationem creatura euehatur ad esse personale Dei, quo nihil fieri potest sublimius. Vnde per Incarnationem Verbi creatura ita euecta est, vt altius prouehi nequeat.	RESPONDET duabus conclusionibus. Prior est, incarnationem non ita fuisse necessariam ad reparationem generis humani, vt absque illa Deus nequiecit humanū genus reparare. Posterior est, Incarnationem Dei fuisse necessariam tanquam medium cōuenientius ad reparationem generis humani. Quod varijs rationibus probat S. Th. quae apud ipsum videri possunt.	Incarnatio fuit necessaria vt medium conuenientius ad reparationem humani generis, non absolute.	4.
		Aduerte 1. non esse de ratione boni sese actu cōmunicare, sed esse sui communicatiuum, id est, esse perfectum, vt possit se cōmunicare, & quandam ad hoc habere propensionem. Se vero actu cōmunicare, esse signum bonitatis, eique maximē consentaneum. Ex quo patet quod Deus, licet summē bonus, nō fuerit incarnatus ex necessitate. Adde quod ad nihil extra se necessitetur.	Notandum priorem conclusionem esse cōmūnem Theologorum, & verissimam. Quia vt S. Th. infinitae Dei potētia non deerant alij modi, quibus genus humanū sibi posset reconciliare. Primō poterat hominī condonare peccatū absque vlla satisfactione, cū nulla necessitate adigatur ad exigendam satisfactionem pro peccato. Secundō poterat in eum finem acceptare opera supernaturalia puri hominis vel Angeli, siue illa sint condignē satisfactoria pro peccato, siue non sint (quod in frequentibus examinabitur.) Tertiō poterat acceptare satisfactiones singulorum hominum. Videri potest Aug. lib. 13. de Trinitate cap. 13. & 18. & lib. de agone Christiano cap. 11. vbi dicit, <i>stultos esse qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi suscipere hominem.</i>	Aug.	5.
		Aduerte 2. quod communicatio per Incarnationem non sit absolute summa, cū Deus longē excellentiori modo sese cōmunicet per aeternam generationē & spirationem, per quam personis prodicis communicatur esse diuinum, ita vt filius & spiritus sanctus naturā suā sint Deus. Non vult ergo S. Th. communicationem per Incarnationem esse absolute summam, sed summā respectu creaturae, quod ex dictis patet.	Contra hanc conclusionem possunt obijci varij Patres, vt commentarius in epistolam ad Hebr. in ter opera Ambr. cap. 9. dicens, <i>tantum fuisse nostrum peccatum, vt saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei filius moueretur.</i>	Obiectio ex Patrib.	
Communicatio per Incarnationem non absolute summa. Quo sensu summam dixerit D. Tho.		Ex his patet rationem S. Thom. solum continere cōgruentiam propter quam Incarnatio etiam ex parte Dei fuerit conueniens.	Resp. solum velle docere, quod tradit S. Tho. 2. cōclusionē, scilicet Incarnationem & mortem filij Dei fuisse necessariā tāquam mediū conuenientius, seu quod nostrū peccatū non posset conuenienter delēri per puri hominis, vel etiā Angeli satisfactionem. Idem est sensus quorundam aliorū patrum, vt Athanasij de Incarnatione Verbi post principij, Leonis serm. 8. de natiuitate. S. tamen Anselmus videtur in ea esse sententia, quod posito hominis peccato Incarnatio omnino fuerit necessaria. Videri potest lib. 1. cur Deus homo, cap. 24. & 25. & lib. 2. cap. 18. sed eius fundamenta sunt planē improbabilia, vt faciliē patebit legenti.	Refellitur.	
Homo per eam specia liter perfectus fuit.		Eadem Incarnatio fuit valde conueniens perfectioni vniuersi. Nam ad illius perfectionē pertinet vt ex omnibus rerum ordinibus constet, & Deo sit quā simillimum: redditur autem tale, dum vltra ordinē naturae & gratiae & gloriae inuenitur etiam ordo vnionis hypostaticae Dei cum creatura. Peculiariter autem homo per illud mysteriū perfectus est. Nam quamuis illud in vno indiuiduo contigerit; moraliter tamen quādam dignitas in specie humana redundat; & homo ratione Christi dici potest caput vniuersi, capax meriti infiniti.	Posset etiam obijci quod aliqui doceant indecorum esse hominem lapsum in peccatum non reconciliari.	Athanas. Leo.	S. Anselmus censuit fuisse absolute necessariā sed fundamentis debilibus.
Cur D. Th. omiserit quā an sit possibilis incarnatio.		Petes, cū quaestio an incarnatio sit possibilis sit prior, cur S. Tho. eam non tractauerit? Respondet Caiet. quia nulla scientia probat suū obiectum, sed	Refellitur.	Obiectio altera.	

men fuisse conueniens, vt Deus nullo modo ad id adstringeretur, & oppositum non esset in re ipsa Deo indignum. Vnde non potest inde concludi etiam supposito peccato Incarnationē fuisse omnino necessariam ad reparationē generis humani. Pro examine 2. conclusionis, aliquot dubia sunt proponenda. itaque

D V B I V M I.

Vtrum malitia peccati mortalis sit infinita?

Quamuis hæc difficultas proprium locum habeat in 1.2. vbi de natura, conditione, & gravitate peccati agitur; non videtur tamen abs re de ea in presenti tractare, quod faciūt varij, cum explicatio eius conducatur ad cognoscendum an pura creatura potuerit perfectē pro peccato mortali satisfacere, an verò ad id necesse fuerit Deum nature rationali creatura hypostatice vniri.

Duplex de presenti questione est sententia.

Prior asserit malitiam peccati mortalis esse simpliciter infinitam. Ita Caiet. hic §. ad alteram, quamvis verbo videatur negare. Ioannes Med. Cod. de penitentia tract. 3. q. 1. §. si consideremus secundum, & plures alij, qui docent peccato mortali deberi penam infinitam intensiue, quia verò ea dari nō potest, quia scilicet dari nequit infinitū in intensiōe, & esset peccatum mortale puniri infinita duratione.

Posterior sententia tenet malitiā peccati mortalis absolute esse finitam. Quam sententiam videtur supponere Scotus in 3. dist. 20. q. vnica §. contra ea que dicuntur, & alibi. Tenent Suarez disp. 4. sect. 7. §. Nihilominus contraria sententia. Vasquez hic disp. 2. c. 1. Cabrera hic disp. 4. §. 5. qui dicit esse communem Thomistarum, Curiel 1. 2. q. 87. art. 4. dub. 3. Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 8. q. 6. concl. 2. Ragusa circa hunc art. disp. 3. §. 3. nihilominus verior, qui dicit esse communiorē. Eamque sententiam sequi debet, qui censent penam peccato mortali debitam esse finitam, scilicet ex sua conditione. Quod docet S. Th. q. 87. art. 4. ad 3. qui non videtur vllō loco infinitatem simpliciter in peccato mortali agnoscere. 2. eandem sententiam sequi debent, qui dicunt hominem posse Deo ad æqualitatem satisfacere pro peccato, quod tenet Bartholomæus Med. hic in dub. de satisfactione puri hominis, responsione ad 2. quamuis ibidem sentiat quod offensa contra Deum commissā sit infinita in genere mali, & videatur intelligere simpliciter infinitam in eo genere, vt patet ex eius argumentis, in quo non procedit conformiter; tenent & alij: cum actus contritionis, per quem hæc satisfactio debet præstari, esset finitæ perfectionis & bonitatis. Tertiò eandem sententiam sequi debent qui negant vnum infinitum posse esse maius altero; cum enim certum sit vnum peccatū mortale esse peius & grauius quàm aliud, sequitur saltē aliquod peccatum mortale non habere malitiam infinitam.

Notandū quamuis rem Theologicè considerādo ratio peccati mortalis possit censeri cōpleri ex eo, quod creatura rationalis per suā actionē vel omissionem censetur Deum moraliter contemnere, & ab eo auerti, ac eius amicitia negligere tamē moraliter cōsiderādo & spectatā rei naturā primam rationē cōstitutiuā peccati mortalis à varijs in alio constitutis, in graui scilicet repugnantia seu disconuenientia actus vel omissionis cum natura rationali. Quod in 1.2. exactius est explicandū. Porro peccatum mortale consideratum secundum hanc rationem, videtur solum habere malitiā finitam, cum

infinitas malitiæ neq; possit sumi ex tendentia ipsius actus, neque ex ipsa conditione nature rationalis, cui repugnat peccatum mortale sub hac ratione spectatum, cum tendentia ipsius actus sit finita, & natura rationalis sit finitæ perfectionis. Relinquitur ergo inuestigandum num habeat infinitam malitiam ex illa ratione completiua, nimirum quod per peccatum mortale censamur à Deo auerti, & illum contemnere.

Resp. & dico malitiā peccati mortalis non videtur esse simpliciter infinita. Probat. infinita malitiā peccati mortalis nō videtur apte aliunde oriri, quàm ex infinita Dei perfectione, seu quàm ex eo quod persona offensa sit infinite perfecta: ex eo autem capite non sufficienter oritur, ergo. Mihi prob. persona offensa etiā infinitæ perfectionis non necessariò tribuit infinitam malitiam per modum obiecti; cum concurrens per modum obiecti non sēper concurrat adquatē suæ perfectioni ad constituendam malitiam actus, & grauitatem offensæ, sed concurrat iuxta proportionem & habitudinē tendentiæ ipsius actus ad cōstituendam malitiam; cōstat autem hæc posse esse finitā & limitatā. Igitur non obstante infinitate personæ offensæ, actus potest sortiri malitiā finitam. Conf. actus inæqualis malitiā possunt versari circa idem obiectum & circa personam eiusdem dignitatis, ergo signū est quod persona concurrat ad malitiam actus iuxta habitudinem ipsius actus, non autem semper adquatē conditioni suæ, quam sortitur à parte rei: cum ergo ipsa tendentia actus sit limitatā & finitā, malitiā peccati mortalis potest esse finitā, quāuis Deus qui offenditur sit infinitæ dignitatis. Antec. patet etiam in presenti, odium Dei potest esse veniale, ergo actus inæqualis malitiæ possunt versari circa idem obiectum.

Vnde licet ex dignitate personæ offensæ & vilitate personæ offendētis crescat ratio offensæ & iniuriæ: non sequitur offensam esse infinitā malitiā ex eo quod persona offensa sit infinite digna, & persona offendens comparatione eius quæ offenditur, sit infinite vilis, propter rationem allatam; quod scilicet grauitas offensæ nō ita sumatur ex conditione personæ offensæ, vt sit necesse malitiam ipsius offensæ adæquari perfectioni & dignitati personæ quæ offenditur, sed quod hæc grauitas sit sumenda iuxta proportionem tendentiæ actus, ita vt persona quæ offenditur suo modo seu per modum obiecti sit causa malitiæ iuxta exigentiam ipsius actus. Quamuis ergo ceteris paribus peccatum tantò sit grauius, quāto persona offensa est dignior & persona offendens est vilior; non sequitur malitiam peccati, quo Deus offenditur, esse absolute infinitam, sed tantum esse infinitam secundum quid, quia nimirum ceteris paribus maior est quàm malitiā actus quo persona creata offenditur; quod optimè potest consistere dum finitate peccati in se, vt videtur patere in peccato veniali, quo Deus offenditur, quod cōmuni theologorum sententia non habet malitiam infinitam.

Prob. 2. quantū ad actus per quos nō tendimus in Deū, sed solum versamur circa rem creatā contra præceptum; per hos enim Deus eatenus solū dicitur offendi, quod fiat aliquid contra legem ab eo latam, quod non videtur sufficiens vt actus cōtrahat malitiā infinitam. Probat. qui cōmittit contra legē principis, non censetur per suā transgressiōnē ita principē offendere, vt is censetur contemni & quodammodo eueri iuxta totam suam dignitatem, sed solum secundum aliquam analogiam

Opinio
Auctoris.
Malitia pec-
cati non est
simpliciter
infinita.

Probat.

Confirma-
tur.

Malitia of-
fensæ non
adæquatur
dignitati
personæ
quæ offen-
ditur.

cenietur ladi. Vnde propter transgressionem præceptorum Deus non ita debet dici eueri, vt inde sumatur infinita malitia peccati.

Confirm.

Conf. 1. offensa Dei que resultat ex transgressionem præceptorum proportionatur malitiæ actus, quæ spectatur ex ratione particulari tendendi in obiectum contra rectam rationem. Idcirco enim per furtum Deus grauiter offeditur, quia grauiter repugnat rationi accipere alienum in notabili quantitate inuito Domino, & ita de alijs; igitur ex eo quod per huiusmodi peccata Deus offendatur, nõ statim asserendum eorum malitiam esse infinitam.

Conf. 2. constat huiusmodi peccata non obstant hac Dei offensa in omnibus inclusa habere malitiam inæqualem secundum rationes suas specificas, & absolute censi inæqualia; ergo signum est rationem offensa in eis esse inæqualem, & proinde inæqualem esse malitiam, quæ proinde commodè potest constitui finita.

II.

Obiectio.

Contra potest obijci 1. si Deus per peccatum euerteretur, & seipsa tolleretur: peccatum contraheret malitiam simpliciter infinitam; ergo eandem contraheret si moraliter euerteretur; atqui euerteretur moraliter per omne peccatum mortale, cum per omne peccatum mortale peccator censeatur Deum euertere & tollere, ergo.

Resp. 1.

hypothesim non tantum esse impossibile quomodo cumque, sed ex ea sequi aliud impossibile, ex quo sequeretur malitia peccati non futuram infinitam. Nā si demus per impossibile Deum posse eueri, sequitur eum non futurum infinitam perfectionis & dignitatis, quandoquidē hac non possint consistere cum potentia ad non existendum. Vnde sequitur malitiam peccati ex eo capite non futuram infinitam.

Resp. 2.

etiam neglecto antec. negando consequ. nā ex hypothesi, quod Deus infinita dignitatis & perfectionis tolleretur & euerteretur per peccatum, peccatum destrueret re infinitam perfectam, & proinde ipsū esset infinitum malum. Si verò Deus solum moraliter euerteretur eo sensu quo huiusmodi propositio intelligitur, non ideo peccatum erit infinitum, cum ita moraliter tolli non causet vllū malum Deo intrinsicum; neque enim Deus in seipsa verè censetur tolli, sed solum metaphoricè dicitur tolli, quia dum in re graui eius mandatum præteritur, si que offenditur, censetur negligi, contemni & tolli ex affectu peccantis. Quæ prudenti iudicio non possunt eam grauitatem causare in peccato quam causaret realis destructio. Quemadmodum prudenti iudicio non tam grauius delinquit is, qui graue aliquod mandatum principis transgreditur, atque is qui principem seipsa occidit, vel vult occidere.

12.

Replica.

Contra saltem ex dictis videtur sequi quod si quis quantum in se est vellet Deum destruere, actus contraheret malitiam infinitam. Patet si quis seipsa destrueret, contraheret malitiam infinitam; ergo eandem contraheret si vellet destruere, cum actus exterior nihil addat bonitati vel malitiæ supra malitiam actus interni efficacis. Nec videtur posse responderi actum externum esse impossibile, & proinde nõ posse tribuere malitiam actui interno per modum effectus intenti. id inquam, non videtur dici posse; quia non obstante eo quod Deus non possit destrui, talis voluntas est mala: ergo etiam eo nõ obstante potest esse infinitum mala. Cur enim per modum obiecti potest concurrere ad causandam malitiam in voluntate & non potest concurrere ad causandam infinitam malitiam?

Satisfactio.

Resp. 1. etiam concessa sequela non licere argumentari ad totam complexionem peccatorum mortaliū, quasi malitia singulorum esset infinita, cum in casu proposito inueniretur peculiaris ratio, quæ non inuenitur in alijs; videlicet quod hæc voluntas de se efficax sumeret infinitam malitiam ab actu externo, seu a reali destructione intenta per modum effectus. Resp. tamen 2. negando sequelam, ad cuius probationem Resp. similiter negando consequ. propter rationem ibidem assignatam, quæ bona est. Nam constat quod quando actus ex natura rei est impossibilis, is non possit per modum effectus, & tamquam actus externus terminatiue esse causa malitiæ, & quod circa tale obiectum non possit versari voluntas efficax. Ad replicam resp. esse magnū discrimen inter voluntates efficaces & inter inefficaces, quod ad hoc vt voluntas etiā circa obiectum impossibile sit mala, sufficiat, si ratio sub qua fertur, sit contra rectam rationem, vel si cōditio apposita hanc disconuenientiam non tollat. Est autem cōtra rationem velle Deum non esse, quæ ratio obiectiua causatiua disconuenientia non tollitur ex eo quod apponatur conditio si fieri posset &c ergo actus potest esse malus, & proinde licet Deus non possit destrui, potest aliqua mala voluntas versari circa tale obiectum: vt verò voluntas fortietur tantam vel tantam malitiam ab opere externo tamquam voluntas efficax, opus quantum est ex rei natura, debet esse possibile; alioqui non poterit terminatiue suam malitiam actui interno tribuere, neque circa illud poterit voluntas efficax versari.

Ex his solui potest argumentum, quo videri potest voluntatem qua quis vult occidere infinitos homines esse infinitam malam. Ad quod ommissis varijs solutionibus, resp. negando assumptum, quia actus occisionis infinitorum hominum ex rei natura est impossibilis, & proinde non potest tamquam terminus efficacis voluntatis eidem malitiam infinitam tribuere.

Solui etiam potest argumentum, quo videri possit peccatum Iudæorum, qui Christum occiderunt, esse infinitam malitiam, quia per illud sustulerunt vitam Christi, quæ erat infinitè digna. Ad quod resp. negando assumptum. Ad cuius probationem dico humanitatem Christi non fuisse infinitè dignam secundum suam naturam, quamuis ratione vniõis hypostatice & personæ, cui substantialiter copulabatur, infinitam quandam dignitatem sortiretur, atque ita per mortem non est destructum aliquid in se infinitè dignum, cum solum sit destructa vniõ animæ cum corpore, non autem vniõ illorum cum persona Dei, & per consequens actus, quo vita Christi destructa est, ex eo capite non contrahit malitiam infinitam, cum id quod perijt, absolute loquendo fuerit tantum finita perfectionis.

Obijciunt 2. peccatum tantæ est malitiæ, vt si daretur gratia intensiue infinita, illa tolleretur; ergo eius malitia est infinita, cum nõ possit gratiam infinitam tollere & expellere nisi habeat malitiam infinitam.

Resp. negando consequ. eiusque probationem, quia peccatum non expellit gratiam physicè tamquam formam sibi directè oppositam, sed solum demeritoriè, idque ex consequenti, quod fieri potest quamuis malitia sit finita. Pro cuius rei ampliori notitia,

Notandum peccatum mortale ideo expellere gratiam, quod tollat diuinam amicitiam. Quia enim per peccatum mortale Deus grauiter offenditur, ideo Deus auertitur ab homine, cuique habet tãquam inimicū, à quo proinde auferit sua dona, quæ cum eius amicitia coniunguntur, auferit, inquam, siue illa sint finita, siue infinita. Ex quo patet quod ea solum ex consequenti tollantur per peccatum, quia nimirum

Actus internus vsu-
mat malitiam
ab externo
impossibile.

13.

Soluitur
argumentum
incedens.

14.

Peccatum
Iudæorum
non fuit in-
finita mali-
tia.

15.

Obiectio.

Diluitur.

Deus

Deus non decreuit ea in illo relinquere, qui eius amicus non sit: nō est autem necesse id quod iuxta hanc explicationem aliud expellat mortaliter solum ex consequenti, quia nimirum diuinam amicitiam dissoluit, esse malitiam infinitam.

Obijciunt: peccato mortali debetur pœna æternæ: quia eius malitia dicenda est infinita, cum humilitudo æternitatis pœnæ non possit aliunde provenire, quàm ex infinitate peccati.

Resp. negando consequ. eiusque probationem. Quod enim peccatum mereatur pœnam æternam, provenit ex eiusdem irreversibilitate, ut docet S. Th. 1. 2. q. 87. art. 5. ad 3. seu idcirco pœna damnatorum est æterna, quia culpa in æternum perseverat, & damnatus in æternum est inimicus Dei, & proinde in æternum puniendus, ut S. Th. q. citata art. 3. ad 4. & art. 4. ad 3. cum enim ordo diuinæ iustitiæ postulet ut inordinatio culpe reducatur in ordinem per pœnam, pœna tamdiu durat, quamdiu durat culpa.

Confr. quamdiu homo est peccator, tamdiu est reus pœnæ. Cum ergo damnatus in æternum sit peccator, consequens est, ut in æternum sit reus pœnæ: quamdiu autem est reus pœnæ, tamdiu puniatur, quando est in loco supplicij.

Dices: homo in inferno non potest à peccato relinqueri, ergo iniquum est eum in æternum punire, si malitia peccati sit finita.

Resp. negando consequ. quia mortaliter peccando interpretatiue voluntarie se coniecit in statum perpetuæ averseionis à Deo, cum peccatum mortale quantum est ex sua conditione avertat irreparabiliter à Deo, eo quod sit dissolutiui diuinæ amicitie, & tollat vitam animæ, quæ est gratia.

Dices iudices seculares non tamdiu puniunt peccatum, quamdiu perseverat; ergo si peccato mortali non aliunde debeat pœna æterna, videtur iniquum quod puniatur in æternum quia ipsum perseverat.

Resp. negando consequ. quia iudices seculares non puniunt culpam propter se, sed quia per illam damnum alteri est infatum, vel alijs datum malum exemplum, quæ possunt aliquo modo refarci, licet aliquis involuntarie pœnam sustineat, & interior voluntas non mutetur, & proinde in foro externo non tamdiu peccatum puniatur quamdiu durat: saltem vero se res habet in foro Dei, ut ex dictis patet.

Dices: ex dictis videtur sequi pœnam peccato mortali debitam per se loquendo esse finitam in intentione, quod nullo modo videtur asserendum. Prob. si ita est, poterit æquari pœnâ responderi venialibus, ut patet: nam potest aliquis tam multa venialia committere ut mereatur sustinere pœnam tam intensam, quàm sit pœna debita mortali: ea sit finita. Ex quibus vltius sequitur malitiam peccatorum venialium posse æquare malitiam peccati mortalis.

Resp. concedendo sequi id quod inferitur, neque vllum absurdum continere. Ad probationem resp. distinguendo: si enim intelligatur de cruciatu extrinsecè immisso, concedo: idq. insinuat S. Th. 1. 2. q. 88. art. 4. in corpore dicens, quod pœnæ pœnas peccati mortalis & venialis foris non sunt remotione conscientie, nego: Nam semper erit maior remorsus conscientie & dolor de pœna proveniente ex peccato mortali, quàm de proveniente ex venialibus quantumvis multiplicatis. Et ex his patet responsio ad id quod secundo loco infer-

rebat. Patet inquam, ex æqualitate pœnæ extrinsecè immisæ non sequi culpas veniales æquari mortali peccato. Adde quod licet æqualis pœna in intentione posset respondere peccatis venialibus, quæ respondet mortalibus, adhuc optime posset consistere in æqualitate ipsarum culparum. Quia pœna vnius ex conditione ipsius culpe posset esse æterna, ut ex dictis patet, alterius non item, cum peccatum veniale non tollat principium vite spiritualis, & diuinam amicitiam.

Possent & alia argumenta proponi quæ commodius in sequenti dubio examinabuntur.

D V B I U M II.

Utrum pura creatura poterit Deo satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali?

IN explicatione articuli diximus non fuisse omnino necessarium Deum incarnari, ad hoc ut genus humanum aliquo tandem modo repararetur, eo quod Deus potuisset esse contentus satisfactione creature quamvis non omnino æquivalenti offensæ. Præsenti dubio inquirimus nūm pura creatura æquivalentem satisfactionem præstare possit, per quam perfectè compenset offensam & iniuriam per peccatum mortale Deo illatam. Duplex est hac de re sententia.

Prior asserit. Caiet. hic in 1. quæst. censet enim quod cum dicitur purum hominem non posse satisfacere ad æqualitatem, purus homo (eadem est ratio de alia creatura intellectuali) nō opponatur homini Deo, sed homini gratiæ prædito. Atq; ita censet hominem gratiæ præditum posse satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali. Quod clariùs tradit §. ad aliam, in quo parum conformiter loquitur ijs, quæ de infinitate peccati ibidem docet. Quam sententiam etiam amplectitur Medina hic in dubio de satisfactione puri hominis, responsione ad 2. ubi id censet, si homo ex proprijs viribus posset actum charitatis exhibere.

Posterior negat. est cōmunis antiquorū & recentiorum, qui passim à varijs citantur. Iuxta quam

Resp. & dico nulla creatura pura etiam per opera gratiæ potest perfectè satisfacere pro peccato mortali alterius. Prob. ex Patribus Bas. in pl. 48. circa illa verba, non dabis Deo placationem suam &c. dicente non item hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest, &c. & paulò post, quid enim vis quam tanti est momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ? Inuentum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quæ pro nobis omnibus effudit. Quamobrem pretio sumus empti. Authore lib. de operibus cardinalibus apud Cyprianum ferm. de passiōe Christi ante medium: Cum originali mortali nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuerit exules, & damnatos: quolibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium. Cyrill. Alexand. l. 10. in Ioannem c. 20.

Nam cum saluare humanum genus Deus pater voluit, neque in creatura posset aliqua efficere, ipse qui voluntatem patris opportunè nouit, filius huiusmodi dispensationem suscepit. Leone ferm. 3. de Pentecoste. Sed quia invidia diaboli mors introiit, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susceperet, qui sine maiestatis sue damno & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet.

Videri

19.

Sensus quæstionis,

Referuntur sententiæ. Affirm. est Caiet. Med. dicit.

DD. cōmunius negant.

20. Auctor negat. Prob. ex PP. Basil.

Cyrill. Alex. 2^{us}.

Leon.

Videri potest serm. 12. de passione. Plures Patres videri possunt apud Suarez disp. 4. sect. 2. concl. 3. Vasquez disp. 4. c. 3. in quorum Patrum sententijs satis constat puram creaturam opponi Deo hypostaticè vnito naturæ rationali, cum Basiliius supra apertè neget eum, qui non sit Deus, posse adferre condignum pretium. Cyrillus neget vllam creaturam posse humani genus saluare. Idem dicat Leo serm. 12. de passione, de meritis Sanctorum. Vnde constat Patres velle nullam puram creaturam quantumvis excellenti gratiâ præditam posse pro peccato mortali perfectè satisfacere (de qua perfecta satisfactione horum & aliorum Patrum sententijs sunt intelligendæ) & proinde explicationem Caietani esse improbabilem.

21
Obiectio,

Dices malitia peccati mortalis est finita, potest ergo compensari opere meritorio creaturæ. Si enim Deus solum finitè offendatur & inhonoretur per peccatum mortale, videtur posse dari actus tam excellens, vt non tantum in entitate physica & quoad intentionem graduum adæquet actum peccati, sed etiam morali æstimatione in ratione honorationis.

Resp.

Malitia peccati est superioris rationis, quâ dignitas operis supernaturalis.

Gravitas offensæ vnde spectetur.

Resp. negando conseq. eiusq; probationem. cuius ratio est, quod malitia peccati mortalis licet finita, sit longè superioris rationis quàm sit bonitas & vis merendi in actu supernaturali creaturæ, & quod secundum morale iudicium Deus censeatur longè magis inhonorari & contemni quando eius præceptum grauiter præteritur, seu quando grauiter offenditur, quàm possit dici honorari per vllum opus creaturæ. Cuius ratio vltior est, quod cum gravitas offensæ spectetur ex dignitate personæ offensæ, & vilitate personæ offendentis, excellentia autem honorationis spectetur potissimum ex conditione personæ honorantis, magnitudo offensæ, qua creatura grauiter offendit summum & infinitum bonum, censeatur maxima, & superare omnem honorem, quem eadem creatura Deo potest exhibere: cum huiusmodi honor exhibetur a persona vili & subdita infinitè distante à Deo, & proinde ex sua conditione non tanti fiat. Hinc est quod licet actus charitatis spectatus secundum gradus intensiōis, & secundum physicam bonitatem possit æquare, imò superare actum odij: rem tamen moraliter considerando in ratione honorationis Dei, nullo modo possit comparari inhonoratiōi, quâ Deus censeatur inhonorari per odium, quo creatura eum prosequitur, imò per quoduis mortale; cuius signum est, quod Deus longè magis odio habeat & detestetur etiam vnum peccatum mortale, quàm amet omnia bona opera purarum creaturarum.

22.

Confirm.

Confirm. 1. gratia sanctificans ex sua candidiora naturali tamquam semen solum respicit gloriam, seu beatitudinem tamquam fructum, & nostra opera facta ex gratia ex sua naturali conditione solum respiciunt eandem gloriam, sicut meritum respicit præmium; ergo non possunt sese extendere ad deletionem peccati mortalis, quasi vi sua possint illud exactè compensare; alioquin etiam de facto, saltem secundum suam intrinsecam virtutem, possent illud tollere de condigno.

Conf. 2. peccatum mortale ex sua conditione est dissolutum diuinæ amicitie; amicitia autem cum Deo restaurare longè maius est, quàm mereri gloriam; & proinde non sequitur opera, quæ sunt commensurata gloriæ, esse proportionata illi restorationi, quæ fit per deletionem peccati mortalis, & posse pro eo exactè satisfacere.

Ex quo discurrit, saltem posteriori confirmatio ne, patet à priori cur bona opera supernaturalia etiam creaturæ iuste non possint compensare, & ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere. Et ita Patrum, & communior scholasticorum doctrina videtur optimè probari à priori, licet peccatum mortale sit finitè malitiæ, quod etiam saltem à posteriori ostendit prior confirmatio.

Patet secundò multò minùs posse puram creaturam satisfacere ad æqualitatem per bona opera purè naturalia, cum ea sint planè improporcionata deletioni peccati, vt patet ex concilijs, & communi doctrina Patrum & scholasticorum.

Patet tertio non posse etiam peccatorem satisfacere ad æqualitatem pro suo peccato mortali per opera supernaturalia, etiam per contritionem perfectissimam. Vasquez disp. 2. c. 5. & disp. 3. c. 3. censet peccatorem eatenus non posse perfectè satisfacere pro suo peccato mortali, quod semper intercedat liberalis remissio; nam per peccatum primi parentis, similiter per quodlibet mortale, homo non solum meretur priuari gratiâ habituali & gloriâ, sed etiam meretur perpetuè priuari auxilijs preuenientibus ad opera pietatis exercenda, & conuententia ad vitam æternam, & proinde quando huiusmodi auxilia conceduntur, pars debiti gratis remittitur. Censet tamen ijs suppositis contritionem rigide promereri, remissionem culpæ.

Verum ex dictis patet contritionem etiam secundum se spectatam non compensare exactè offensam Dei per peccatum mortale commissum. Conf. ex doctrina ipsius disp. 4. in qua docet vnum purum hominè non posse perfectè satisfacere pro alio, etiam per opera gratiæ, quia videlicet eius opera naturâ suâ tantum habent proportionem cum vita æterna illi conferenda: quæ ratio si quid concludat, videtur cõtra ipsū cõcludere quod nullus etiam suppositis auxilijs possit per actum contritionis perfectè pro suo peccato mortali satisfacere. Si enim gratia sit tantum semen gloriæ, non potest dici habere proportionem cum sublatione mortalis culpæ. Conf. quando peccatum non concipitur deletum, homo est hostis Dei; vnde licet contritio ponatur prior remissione peccati: antequam illud remittatur, homo censetur peccator & hostis Dei, & proinde nullum ipsius opus potest censeri condignum remissioni peccati. Rationem Vasquez fusè impugnat Lorca disp. 4. num. 9. & seqq.

Contra solutionem argumenti principalis vrbis quod possit dari gratia intensiue infinita; visse opus ex ea proficiscens poterit esse infiniti meriti; ergo per illud poterit perfectè pro peccato mortali satisfieri.

Suarez disp. 4. sect. 7. §. Hinc constat, & alijs, postquam ostendisset propter rationem à nobis deductam puram creaturam non posse ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere; §. ad argumentum, docet si daretur gratia infinita, videri sequi contradictionem; quia videlicet & posset satisfacere, propter rationem in hac obiectione positam; & non posset, quia persona creata nihilominus infinitè distaret à dignitate personæ offensæ, & proinde satisfactio esset insufficiens.

Verum neglecto antecedente, de quo iam non disputo, Resp. ex doctrina eiusdem §. citato negando conseq. & dico etiam datâ hypothesi creaturam non satisfacturam ad æqualitatem. Cuius ratio ex dictis peti potest, & ex doctrina ab illotradita; quod scilicet grauis offensa in Deum commissâ semper

23.

Coroll. Primum.

Secundum.

Tertium.

24.

Expositio Vasquez.

Refellitur.

Contritio secundum se, nō compensat exactè offensam Dei.

25.

Contra solutionem principalis argumenti.

Resp.

Non satisfieri pro mortali, etiam cum gratiâ infinita.

per remaneat superioris ordinis quam sit meritum infinitum proveniens ex gratia creata; cum enim gratia sanctificans creata, & opus ex ea proveniens ex sua specie & conditione naturali sint tantum proportionata gloria, sequitur quod quantumcumque ea intenduntur, ab eo ordine non extrahantur, nec referantur ad aliud tamquam ad premium, sed solum possint esse moralis causa gloriae infinitae tamquam premij correspondentis.

Dices meritum infinitum est proportionatum cuiuslibet premio.

Resp. negando assumptum, quando meritum solum est infinitum in certo genere, quale est meritum propter gratiam infinitam. Illud enim meritum solum respicit gloriam tamquam terminum & premium; & proinde ex argumento solum habetur huiusmodi merito respondere gloriam infinitam intensam tamquam communem premium.

Contra, per actum charitatis infinitum Deus infinitum honoratur, ergo tantum honoratur, imo & amplius quam inhonoratur per peccatum mortale.

Resp. negando conseq: quamvis enim physice inhonoratur infinitum, morali tamen consideratione inhonoratur honore inferiore, & improporcionado inhonorati, quae per graue peccatum committitur, ut ex dictis patet.

Petes 1. an saltem possimus dici imperfecte pro mortali satisfacere? Negat Med. hic §. ad ultimum argumentum, cuius rationes, si bene perpendantur, solum procedunt de satisfactione perfecta. Negat & quidam alij. Sed Theologi communius affirmant, quod est omnino verius. Quia peccator per contritionem aliqualem exhibet compensationem pro peccato, ergo dici potest imperfecte pro eo satisfacere.

Nec obstat quod peccati remissio dicatur gratis fieri, quia quomodo illo modo loquendi non excluditur dispositio hominis, ita non necessario excluditur aliquis eiusdem compensatio pro peccato, sed solum excluditur perfecta & quae sit aequalis offensae.

Petes 2. an homo iustus possit perfecte satisfacere pro culpa veniali à se commissa?

Negant pauci. Sed dicendum cum communi sententia Theologorum posse, quia peccatum veniale est levis Dei offensae, quae salua amicitia committi potest, & quae non tollit vitam gratiae; amicus autem potest ad aequalitatem satisfacere pro levis offensae in amicum commissis. Conf. iustus per opera supernaturalia potest de condigno mereri gloriam, ergo videtur posse de condigno compensare id, quod ab executione gloriae potest eum retardare.

Dices etiam posita perfecta contritione Deus non tenetur dimittere peccatum veniale.

Resp. id non obstat, quia eo non obstante perfecta saltem contritio de peccato veniali ex sua conditione & intrinseca virtute potest in ratione compensationis esse aequalis levi offensae, quamvis ea non remittatur, nisi accedat acceptatio divina. Conf. homo iustus dicitur per bona opera supernaturalia mereri de condigno vitam aeternam, quam tamen Deus non adstringitur seposita sua promissione concedere; ergo similiter licet Deus seposita promissione, quae promissit se condonatum veniale peccatum homini iusto elicienti contritionem, non teneatur illud remittere, non idcirco iustus definit satisfacere de condigno, si opus quantum ex se est, proportionem habeat cum deletionem peccati.

Dices iustus indiget gratia, ut bonum opus eliciat, & de veniali conteratur; id autem repugnat perfectae satisfactioni. Resp. negando minorem, quia non obstante gratiae praevientis concessione gratis facta, ipsum opus in ratione compensationis est aequalans. Unde licet remissio peccati venialis nitatur gratia tamquam radice; non obstat quod minus satisfactio exhibita ab homine iusto formaliter loquendo sit de condigno; quemadmodum meritum bonorum operum respectu gloriae est de condigno, quamvis ad illud aliqua gratia requiratur.

Dices in oratione dominica dicimus, *Dimittite nobis debita nostra*, quibus verbis significatur illa nobis remitti; ea autem sententia intelligitur de venialibus etiam respectu iustorum, ergo etiam iusti petunt venialia sibi à Deo remitti, & proinde non possunt pro ijs perfecte satisfacere; nulli enim remittitur id pro quo potest satisfacere. Conf. extra sacramenta (quidquid sit de remissione quae in illis fit) peccatum veniale nunquam deletur sine pio opere, quod iuxta communem sententiam debet aequaliter illud compensare, & proinde non debemus petere illud nobis dimitti.

Resp. concessio antecedente, negando conseq. quia etiam in humanis petimus nobis remitti iniuriam, pro qua tamen ad aequalitatem satisfacimus, cum non solum liberalis condonatio offensa dicatur illius remissio, sed etiam ea quae fit exhibitae satisfactione, quod praesertim locum habet in Deo, qui citra liberalem suam promissionem non tenetur acceptare satisfactionem etiam condignam creaturae, & propter illam peccatum ei condonare. Unde merito etiam iusti possunt humiliter petere peccata venialia sibi condonari, quantumvis pro ijs satisfaciant. Hinc patet responsio ad confirmationem. Adde quod per huiusmodi petitionem possumus intelligi petere gratiam praevientem quae detestetur peccata venialia, quae gratia, cum detur gratis, possumus ratione illius tamquam radice censi petere remissionem peccati tamquam gratiam.

D V B I V M III.

Utrum merita Christi fuerint sufficientia ad satisfaciendum de condigno pro genere humano?

DVbio superiori ostensum est potissimum ex doctrina Patrum nullam puram creaturam potuisse condigne satisfacere pro peccatis generis humani praesenti dubio petitur num. Christi opera ex se, & intrinseca sua conditione fuerint ad id sufficientia.

Scotus in 3. dist. 19. negat. similiter Gabriel ibidem. Item Scotus in 4. dist. 15. q. 1. ubi etiam Durandus. Ioannes med. cod. de penitentia tract. 3. q. 1. §. Si consideremus secundum.

Ceteri penè doctores censent Christum perfectissime pro nobis satisfecisse, eiusque opera ex se, & intrinseca sua conditione sufficientem ad id valorem habuisse, quae sententia est omnino verior.

Prob. 1. ex scriptura ad Heb. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiit*

29

Replica altera.

Refellitur.

30

Negat Scot. Gabr. Durand. 20a. Medim.

Autor cum communi auctoritate.

31 Prob. 2. ex Scriptura. Heb. 9.

semel

semel in sancta aeterna redemptione inuenta. Quo loco Apostolus opponit oblationem Christi oblationibus veteris testamenti, & effusionem sanguinis illius effusioni sanguinis hircorum & vitulorum, quae oppositio & prelatio esset inefficax, si sanguis Christi effusus, &c. ex sola Dei ordinatione & acceptatione fuisset sufficiens pro nostra redemptione, non verò ex suo intrinseco valore; cum etiam oblationes veteris testamenti potuissent ad hunc effectum ordinari. Vult ergo Apostolus aliquid amplius significare, scilicet ipsam hostiam eiusque oblationem nostrae redemptioni fuisse condignam.

1. Petri 1.

1. Petri 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi &c. Eadem scriptura passim dicit nos per Christum emptos, empti enim estis pretio magno, 1. ad Corinth. 6. redemptos, Apoc. 5. redempti nos Deo in sanguine tuo. Dicit, Christum nos lauisse à peccatis nostris, Apoc. 1. Atqui haec & similes loquendi formulae designant Christum exhibuisse equivalens pretium; seu eius satisfactionem quantum est ex conditione intrinseca, & valore aequasse offensam in Deum commissam. Qui enim dicitur redimere, soluere, dare debet pretium quantum est ex sua conditione condignum. Quia si maximum debitum remittatur pro re leuissima, vel pro ea donec res excellentissima, non potest dici vera emptio, redemptio, solutio, sed erit magna ex parte donatio.

1. Cor. 6.
Apoc. 5.
Apoc. 1.

Conf. ex Dam. lib. 3. de fide cap. 1. dicente rei admodum dubia & difficilis inueni solutionem quam decentissimam. Quod dici non potuit, si pretium ex se & sua conditione non fuerit condignum.

32
Prob. 2. ex
PP.
Damasc.
Basil.
Leon.
Clem. 6.

Prob. 2. ex Patribus Dam. iam citato: Bas. citato superiori dubio dicente; inueniuntur enim est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus Iesus Christus, quem pro nobis omnibus effudit; quamobrem pretio sumus empti. Eadem est sententia aliorum Patrum eo dubio citatorum, qui, quod negant de pura creatura, asserunt de Christo; qui non potuissent ita loqui, si pretium à Christo oblatum non fuisset ex se & intrinseco valore sufficiens, sed ex sola Dei acceptatione. Quemadmodum enim Deus satisfactionem Christi ex se insufficientem acceptasset; ita potuisset acceptare satisfactionem purae creaturae quamvis ex se inproportionatam, tamque ad finem humanae redemptionis ordinare. Adde Leonem serm. 12. de Passione dicentem, effuso enim pro multis sanguine iusti tam potens fuit ad privilegium, tam diues ad pretium, ut si universas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Accedit Clemens 6. extrau. Vngentus, de poenitentis & remissionibus, asserens, mercedem sanguinis (scilicet Christi) guttam propter vnigenam ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisse.

33
Prob. 3. ratione.

Prob. 3. Ex eo quod opera Christi fuerint infiniti valoris, atque adeo Christus per singula infinitè meritis fuerit. Quod primò videnter indicare Patres citati & alij, dum constanter asserunt nullam puram creaturam potuisse offerre iustum & condignum pretium pro nostra redemptione; & contra docent Christum pro nobis condignè satisfecisse. Nam, eo ipso insinuant & nullum finitum pretium suffecisse pro redemptione generis humani, & pretium per Christum oblatum fuisse valoris infiniti. Conf. ex eo quod Patres censent satisfactionem Christi non solum suffecisse pro

omnibus qui vnquam fuerunt vel erunt, sed pro infinitis hominibus redimendis, si dari possent. Nullum autem pretium sufficiens est redimendis infinitis hominibus præter infinitum.

Secundò idem ostenditur ex extrau. Vngentus de poenitentis & remissionibus citata, ubi Clemens 6. docet Christum suis meritis & satisfactionibus acquisivisse infinitum thesaurum hominibus; quod verum esse non potest, nisi eius opera fuerint valoris infiniti, nam infinitus thesaurus non potest condignè acquiri per meritum finitum. Conf. Christus per quodlibet opus potuit acquirere quodvis premium & cuiusvis valoris, idque non solum in vno vel altero genere, sed in quocumque genere premij. Igitur quodlibet opus Christi debuit esse simpliciter infinitum in ratione meriti.

Ratio à priori ob quam Christi merita fuerunt infinita, est infinita dignitas personae operantis, quamvis enim natura humana, quae erat principium quo operationum, quibus Christus merebatur, esset finitæ dignitatis, tamen is qui merebatur erat suppositum diuinum, quod suis operibus tribuebat infinitum moralem valorem. Pro cuius rei intelligentia,

Notandum quando quis bene operatur, non poni ipsam actionem in abstracto, ut sic dicam, sed operantem censeri sese alteri subternere atque submittere, & proinde censeri suum opus informare, & in illud moraliter influere, ipsumque opus secundum suam dignitatem afficere; unde quod persona, quae alteri exhibet signa honoris & submisionis, est dignior, eò ipsa actio censetur maioris dignitatis & meriti, cum ergo persona Christi fuerit infinitæ excellentiæ, sequè per actiones naturæ humanae æterno Patri submiserit, ipsas actiones reddidit moraliter infinite dignas, & valoris infiniti. Cum verò excellentia personæ non fuerit infinita in certo genere, sed in omni, sequitur quod suas actiones in ordine ad premium reddiderit infinite dignas, non solum in certo genere, sed in omni, seu quod vis infinita merendi, quae inerat Christi operibus, non fuerit solum in ordine ad premium certæ rationis, v.g. in ordine ad vitam æternam obtinendam, sed in ordine ad omne id quod potest sortiri rationem premij.

Contra hanc rationem potest obijci 1. quod Christus meruerit vt homo, ex quo capite non potuit operibus infinitatem tribuere.

Resp. si particula, vt homo, solum reduplicet principium quo, concedo; quia per solas actiones humanitatis meruit; sed vt ex dictis patet, id non obstat infinito valori operum eiusdem; si verò neget suppositum diuinum, nego. Verè enim est operatus vt homo-Deus, seu vt homo subsistens subsistentia diuina, ratione cuius infinite excellentis potuit suas actiones in sua entitate physica finitas reddere valoris infiniti. Pro quo

Notandum quod ratio bonitatis moralis & meriti non sint affectiones physicae ipsius actionis, sed morales conditiones, quae multum possunt variari ex causis ipsa entitate physica existente omnino eiusdem perfectionis physicae, vt patet in exhibitione honoris omnino simili in entitate physica facta à plebeio & facta à rege, quae moraliter censetur inaequalis, & à rege præstita censetur sine comparatione moraliter excedere eam quae præstat à plebeio. Similiter idem actus humilitatis ex maiori libertate, maioris est meriti, quam procedens ex minori libertate. Ita ergo in

11.

34
Opera
Christi
infinita
ex
dignitate
personae.35
Notabile.Actio
maioris
est
meriti
quod
persona
est
dignior.

Obije. 1.

Resp.

36

Aliud
notab.
Bonitas
moralis
mutari
potest
inua-
riata
enti-
tate
actio-
nis.

præ-

presenti dicendum, quod licet entitas operum Christi, quae per humanam naturam exercuit, fuerit finita: nihilominus ipsa opera dignitatem infinitam, & infinitam vim merendi sortita fuerint ex infinita dignitate personae operantis.

Contrahypothasis non est actiua, & idcirco non potest censerī in opus influere; sed tantum potest dici terminare naturam operantem, & in praesenti diuina hypothasis solum potest dici naturam humanam sustentare, quod non videtur quidquam facere ad dignitatem & valorem actionum.

Resp. concedendo assumptum rem physicē considerando, si enim concipiamus humanam naturā posse existere absq; omni subsistentia, poterit etiam actiones exercere, & quidem physicē non minus perfectas, quam cum subsistentia; nego tamen secundum moralem considerationem, prout iam est explicatum. Quia quando natura terminata subsistentia operatur, id quod operatur est suppositum, & proinde iuxta suam conditionem & dignitatem potest suo operi dignitatem moralem & valorem tribuere.

Vrgeri potest quod ex huiusmodi infinita personae dignitate non videatur apte concludi infinitus valor operum Christi, ex eo quod illa personae excellentia sit tantum una circumstantia operationum; quando autem ad constitutionem alicuius pluraequiruntur, infinitas vnus non sufficit ad tribuendam infinitam perfectionem simpliciter in illo genere, vt patet in Deo, qui licet sit perfectioris infinitae, non tribuit infinitam perfectionem actui charitatis.

Resp. negando assumptum, ad cuius probationem dico personam operantis non esse quomodo-cunque circumstantiam operis, sed spectari tantumquam moralem formam eiusdem, vt ex dictis patet. Ad id verò quod subsumitur, dico quod licet non omne id quod requiritur ad constitutionem alicuius, eidem tribuat infinitatem, licet ipsum sit infinitum, vt bene ostendit instantia de Deo respectu actus charitatis; eam tamen tribuat circumstantia personae operantis, vt ex dictis patet. Et dico quod non obstantibus alijs finitis, quae concurrant ad operationes Christi ipsa persona tamquam moralis forma earum illas redderet infinitae perfectionis moralis & infiniti valoris in ordine ad merendum. Aliter dicendum de obiecto actus, quod tamquam terminus extrinsecus pro varia habitudine ipsius actus ad obiectum, concurrat ad valorem eiusdem actus.

Dices: si quis esset praedicti gratia vt decem, exercens actum charitatis vt duo, non mereretur vt decem; ergo neque persona infinitè digna per quolibet opera infinitè merebitur.

Resp. negando consequens, quando illa dignitas non solum se habet concomitanter ad opus, sed antecedenter. Ex dictis autem constat quod dignitas personae operantis in Christo antecedenter se habere ad illius operationes, non quidem per modum principij quo, sed per modum suppositi. Quod quia mediante naturā humanā censebatur secundum se totum influere, tribuebat operibus infinitam dignitatem.

Aliter censendum de gratia habituali, quae non censetur necessariò se antecedenter habere ad operationem supernaturalem, sed eatenus solum requiritur, vt opus sit hominis iusti & grati Deo, & proinde sit aptum vt operans per illud

possit mereri vitam aeternam. Vnde vel maior gratia habitualis non conducit ad maiorem valorem operis, vt quidam asserunt; vel si conducat (vt alij volunt) solum conducit iuxta proportionem influxus habitus, vel auxilij concurrentis, quod alibi accuratius est disputandum. In praesentia sufficit, quod vtramvis sententiam sequamur de gratia habituali, non sequatur quidquam contra infinitatem meritum Christi.

Obijciunt 2. quod si dicamus opera Christi fuisse valoris simpliciter infiniti in ratione meriti, sequatur vnum meritum Christi non esse altero maius, imò vnum esse aequale omnibus simul sumptis; & proinde Christum primo instanti abunde pro nobis satisfecisse, neque opus fuisse tot actibus & virtutum exercitijs, adde neque tot cruciatibus & morte acerbissima.

Seposita disputatione, an vnum infinitum possit esse altero maius, Resp. concedendo sequentiam, & dico quod licet inter ipsos actus Christi physicē spectatos esset, vel inueniri posset inaequalitas, iidem tamen moraliter spectati, & vt à tali personā procedebant fuerint aequalis perfectionis & virtutis merendi, & singuli fuerint aequales omnibus simul sumptis, & Christus per singulos meruerit non solum vnum praeium infinitum, vel plura eiusdem rationis, sed quantumlibet multa, & cuiuslibet rationis, & proinde non plus meruerit per plures actus quam per vnum.

Vnde per vnum actum etiam internum & facillimum potuit nos abunde redimere, & pro nobis satisfacere. Non obtulit tamen singulos actus tamquam integrum pretium nostrae redemptionis, sed omnes per modum vnus integri meriti in passione consummandi, qui fuerunt ita à Patre acceptati, iuxta illud Isa. 53. *si posueris pro peccato animam suam, videbit semen longeuum.* Quo sensu nostra redemptio in scriptura & Patribus passim tribuitur Passioni, quā loquendi formā neque scriptura, neque Patres volunt alijs Christi actionibus negare sufficientem vim ad nos redimendos & ad satisfaciendum pro nobis, sed solum docere quod iam diximus.

Porro noluit vnico actu pro nobis satisfacere, neque solos faciles offerre, sed voluit fatigari, durissima perpeti, atque adeo mortem acerbissimam & ignominiosissimam; tum vt suam erga nos charitatem declararet, tum vt ostenderet peccati gravitatem, tum vt tamquam Doctor viam virtutis conuenienter nostrae naturae nos doceret, nosque suo exemplo in aduersitatibus armaret. Voluit ergo se humiliare, obedire, pati, offensam remittere, orare pro persecutoribus, &c. vt in eo omnium virtutum exempla cerneremus.

Ex dictis facile patet nullum praeium creatum quoad perfectionem respondere merito Christi, sed quolibet tali dato Christi opera promereri maius in infinitum, & singula esse commensura omni ei quod in praeium dari potest, atque adeo Christum potuisse promereri Incarnationem alterius diuinae personae, per quam licet quoad perfectionem quodammodo intensiorem aequaretur meritum, non tamē exhaustiretur, cum meritum simpliciter infinitum nullum habeat terminum extensionis quo ad res quas respicit per modum praeij.

40.

Obijciunt 2.

Resp.

Singuli actus Christi fuerunt aequalis valoris ac omnes simul sumpti.

Isa. 53.

41.

Cur noluit vno actu pro nobis satisfacere.

42.

Christus potuit operibus suis promereri Incarnationem alterius personae.

B

Aduerte

Christus
non retulit
suo opera
ad quodli-
bet præmi-
um obtinendū.

Heb. 5.

43.

Affirmat
Vasq. meri-
tum nostrū
fuisse abso-
lutē neces-
sariū ad vi-
tam æternā

Sed eius
ratio impro-
batur.

Opera
Christi plus
Deo placent
quam dis-
plicent om-
nia peccata
simul sum-
pta.

Varie sen-
tentia.

Medin.
Raguza.

Aduerte tamen Christum non retulisse sua opera ad quodlibet præmium obtinendum; neq. Patrem æternum ad illud ea acceptasse, vt patet, quia non retulit ad delenda peccata Angelorum, non retulit ad omnes homines reipsa finaliter à peccato liberandos, non retulit etiam in hunc finem, vt peccata nobis remitterentur, vel gratia conferretur sine nostra cooperatione, vel applicatione sacramentorum, iuxta illud ad Heb. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Porro noluit sua opera ita offerre, primò ne daretur occasio negligentia & contemptus bonorum operum. Secundo ne hominibus præberetur peccandi licentia. Tertio vt magis appareret vis & efficacia meritorum Christi, dum non solum pro nobis satisfecit, sed etiam nobis promeruit virtutem salutem nostram operandi.

Peti vero potest an nostrum meritum fuerit absolutè necessarium ad vitam æternam consequendam. Affirmat Vasq. disp. 6. cap. 4. in fine, quia meritum Christi non potest nos reddere formaliter dignos gloriā.

Sed hæc ratio videtur minus solida, quia potuisset nobis promereri infusionem gratia absque vlla nostra cooperatione. Conf. reipsa infunditur infanti gratia in baptismo absque vlllo pio eiusdem motu: Christi autem meritum non alligatur sacramentis. Quamuis ergo non possumus esse formaliter iusti per eius meritum, potuissimus tamen esse per effectum eiusdem meriti nobis applicatum etiam sine vlllo nostro motu, vt in præsentem non disputem an de potentiā absolutā possimus esse iusti per moralem conditionem absque vlllo dono physico nobis inhærente, de quo 1. 2. tractari solet.

D. V. B. I. V. M. IV.

Utrum Christi satisfactio fuerit ex stricta iustitia?

ID negant qui sentiunt opera Christi ex sua conditione non fuisse condigna ad satisfaciendum pro peccato generis humani, quod dicunt consequenter. Cum enim ad strictam iustitiam requiratur vt reddatur æquiualens, constat si Christi satisfactio non fuerit æquiualens, eam non fuisse strictam iustitiam. Sed ex dubio superiori patet Christi satisfactionem ex hæc parte non defecisse à ratione strictæ iustitiæ, cum opera Christi abunde responderint iuri, quod Deo competit, vt honor ei restituatur, & plus Deo placuerint, quam ei displiceant etiam omnia peccata simul sumpta.

Inter eos qui censent opera Christi fuisse valoris infiniti, atque adeo Christum per ea reddidisse æquiualens pro offensâ & iniuriâ Deo per peccatum illatâ, discrimen inuenitur. Quidam enim existimant satisfactionem Christi fuisse iustitiæ strictæ sumptæ. Med. hic in 1. conclusionem de hæc re. Raguza circa hunc articulum disp. 20. & multi alij. Quod ex scripturis & Patribus conantur ostendere. Alij verò id negant, concedentes quidem in eâ fuisse quandam conditionem strictæ iustitiæ, scilicet pretij æquiualens, & quod opus per quod Christus satisfecit, fuerit æquale offensæ independentem à Dei acceptance, & tale quod cōuenienter debuerit acceptari à Patre in cōpensationem; negantes tamen in ea inuētā alias con-

ditiones ad rationem iustitiæ necessarias. Pro quo.

Notandum varias condiciones requiri vt aliquis actus sit strictæ iustitiæ. 1. vt sit ex proprijs eius qui dicitur ponere actum iustitiæ. Si enim non sit illius, is nullo modo per talem actum potest dici reddere æquale. 2. vt sit ex indebitis, nam si id quod ponitur & per quod posset censeri reddi debitum, aliunde debeatur, non potest dici per illud reddi alteri ius suum, nec per idem potest satisfieri ad æqualitatem duabus obligationibus. Ad hoc reducitur vt id per quod censetur alteri reddi ius suum, non sit aliunde ipsius. 3. vt valor eius per quod sit restitutio, non procedat à creditore, si enim procedat, iam intercedit gratia, quæ repugnat perfecte iustitiæ. 4. requiritur debitum legale seu strictum.

Ex his & quibusdam alijs videtur concludi actum satisfactionis Christi non fuisse strictæ iustitiæ, cum omnes eius actiones fuerint Dei, eique debita titulo creationis, & generalis influxus in illas; imò ex debito gratitudinis pro beneficijs acceptis, propter quos titulos eas poterat exigere. Et quantumvis in eius honorem ponerentur, nihil ei dabatur quod suum non erat; nec quidquam vilitatis acquirerebat per huiusmodi relationem. Valor etiam operationum dependebat à gratiâ per Deum creditorem collatâ, cum Deus gratis contulerit humanæ naturæ beneficium vnionis hypostaticæ, similiter gratiâ habitualē. Denique Christus nullo debito legali tenebatur satisfacere, cum onus nostrum in se suscepit, nos autem non obligamur ex iustitiâ ad satisfaciendum pro culpa. Adde quod Deus nullam quantumvis perfectam satisfactionem teneretur acceptare, & præsertim alterius, cum per satisfactionē ab alio præstitā voluntas eius qui offenderat, & quæ per peccatum deflexerat ab ordine, in ordinem non reducatur. His addi potest quod hominibus ad Deum non possit dari iustitiæ strictæ sumpta, neque similiter in Deo respectu creaturæ.

Hæc & similia sine dubio reddunt hanc partem probabilem, quæ est variorum recentiorum, cum in humanis non videatur esse actus iustitiæ propriæ & strictæ sumptæ, quando id per quod satisficit pendet ab eo cui satisficit, & satisfaciens id accipit gratis à creditore. Neque scripturæ & Patres illi sententiæ aduersantur. Neque enim voluerunt docere satisfactionem Christi habuisse omnes condiciones iustitiæ strictæ sumptæ, nec id ad eorum scopum magnopere faciebat: sed solum voluerunt docere Christū abunde pro nobis satisfecisse, illius opera abunde suffecisse non solum ad compensandam iniuriā per peccatum generis humani Deo illatam, sed etiam infinitorum hominum; pretium ab eo oblatum fuisse æquiualens offensæ, imò illam superasse, quod magnopere conducebat ad declarandū sapientiam, bonitatem & iustitiam Dei, qui difficillimi pretij decētissimam inuenit solutionem, vt Dam. lib. 3. de fide c. 1. item ad declarandā excellentiam nostræ redemptionis. Hoc modo commodè explicantur scripturæ & Patres, videlicet vt eatenus velint iustitiam in Christi satisfactione inueniri, quod inueniatur æqualitas cum offensâ, & iniuriā quam creatura Deo intulit.

His tamen non obstantibus prior sententiā suā probabilitate non caret. Quod probatur ostendēdo satisfactioni Christi non deesse alias condiciones ad iustitiā necessarias. Ac primò certū est Christū satisfecisse ex proprijs, cū satisfecerit per actus qui in eius erant potestate, & quos libere eliciebat,

nihil

45.

Vi actus sit
strictæ iu-
stitiæ varia
requiritur.

Suadet
actiones
Christi non
fuisse ita
strictæ iustitiæ.

46.

Damas.

47.

Probabile
tamen fuisse
strictæ iustitiæ.

nihil enim est tam nostrum quam quod libere possumus. Secundo Christum etiam satisfecisse exindebitis quantum ad prae sens institutum pertinet: patet, quia illius opera, quae etiam per naturam humanam exercebat, non erant Deo debita ex titulo iustitiae, sed alio morali; ergo potuit per illa ex iustitia satisfacere, cum id quod debetur alteri solo titulo morali verbi gratia gratitudinis, charitatis, obedientiae, possit exhiberi titulo iustitiae; ita ut per unum eundemque actum utriusque titulo satisfiat. Et quamvis conciperemus Christum debuisse ponere aliquem actum ex alio titulo iustitiae, nihilominus per eundem potuisset ex iustitia satisfacere pro peccato generis humani, propter infinitam virtutem ipsius actus: unde ostenditur ut esset abunde sufficiens ad satisfaciendum etiam infinitis obligationibus & debitis iustitiae. Nam quod aliquis actus non sit proportionatus pluribus debitis iustitiae, ex eius imperfectione & limitatione quoad vim satisfaciendi procedit.

Quod autem per opera Christi nihil utilitatis Deo accesserit, nec quidquam positum fuerit, quod non fuerit Dei, non refert; quamvis enim id possit oblati perfectae restitutioni, prout ea distinguitur à satisfactione: non tamen obstat quominus satisfactio possit exhiberi, cum ea non extendatur ut aliquid alteri tribuatur, quod suum non erat, sed ut compensetur iniuria & offensa per actus eius, qui dicitur satisfacere; quod in Christi actionibus perfecte inuenitur. Adde quod quemadmodum morali iudicio honor Dei per peccatum laeditur & ius quod habet ut eius honor seruetur illibatus, ita per Christi opera abunde moraliter restituatur, cum multo amplius censeatur honorari per opera Christi, quam inhonorari per peccata hominum vel etiam angelorum.

Ad id quod tertio loco requiritur, Resp. videri impertinens vndam valor procedat, si totum opus cum suo valore sit operantis. Adde quod licet gratia facta sit humanitati, tum per assumptionem illius ad diuinam personam, tum per collationem gratiae; nihilominus opera quibus Christus satisfecit, vere fuerint illius, & ex persona dignitate habuerint vim infinitae satisfaciendi, quae persona nullam gratiam recepit ex eo quod gratia facta sit naturae humanae assumptae.

Ad id quod quarto loco exigitur, Resp. quod licet Christus citra pactum nullo modo obligaretur satisfacere pro peccato generis humani, eo tamen interveniente fuerit ad id obligatus ex iustitia. Nec refert, quod Christus nostram obligationem dicatur in se suscepisse, quia potuit sese obligare ex iustitia & stricta obligatione ad id praestandum, quod nos ex alio titulo tenebamur ponere: sicut potest aliquis ex iustitia se obligare ad praestandum loco alterius, quod alter solum tenebatur praestare ex charitate vel gratitudine. Dici etiam potest nos non obligari ex iustitia ad satisfaciendum pro peccatis ex eo solo capite, quod non possumus satisfacere ad aequalitatem, ita ut si id possemus praestare, obligaremur ex iustitia strictae sumptae penitentiam pro peccatis agere: unde cum Christus potuerit satisfacere ad aequalitatem pro peccatis nostris, & fidei usorem pro nobis se constituerit, fuit obligatus ex iustitia pro nobis satisfacere.

Ad id quod dicitur Deum non fuisse obligatum acceptare Christi satisfactionem pro nobis, Resp. id non obstat rationi iustitiae. Quemadmodum enim non obstat eo quod aliquis non teneatur

cum alio contrahere, potest postinitum contractum vera iustitia inter illos intercedere: ita non obstat eo quod neque Christus teneretur onus nostrum suscipere, neque Pater aeternus teneretur eius satisfactionem acceptare, postquam ille sese obtulit pro nobis, & Pater hanc oblationem acceptavit, sufficienter ratio iustitiae est inuenta in eius satisfactione, & per illam potuit tolli inaequalitas personae offendentis, quam Christus in se suscepit. Christum vero nostram personam subijisse, & onus satisfaciendi in se suscepisse, cuiusque oblationem à Patre aeterno fuisse acceptatam, patet ex Isa. cap. 53. & haec quidem sufficiunt ad argumenti solutionem.

Peti tamen potest an Deus potuerit non acceptare satisfactionem à Christo oblatam? Negant Valentia tomo 4. disp. 1. q. 1. puncto 5. in 5. q. Lorca disp. 8. nu. 9. eo quod Deus Pater non potuerit discordare à voluntate Christi propter dignitatem personae offerentis satisfactionem.

Sed longè verius est quod censent alij, scilicet Deum non fuisse necessitatum ad illam acceptandam. Quia citra promissionem non apparet unde talis necessitas Deo imponatur, cum solum videretur imponi ex infinita dignitate operum Christi. Verum licet haec dignitas faciat ut ea non possint non esse Deo gratissima, non tamen inducit necessitatem illam acceptandi in satisfactionem pro peccatis generis humani. Neque etiam necessitas oritur ex concordia voluntatis Dei cum voluntate Christi, quia inde non tam ostenditur quod Deus fuerit necessitatus ad acceptandam Christi satisfactionem, quam quod Christus humanam voluntatem debuerit diuinam conformare, & non debuerit sua opera offerre in satisfactionem pro genere humano nisi sub diuino beneplacito.

Dices: iustitia est ad alterum.

Resp. satisfactionem Christi sufficienter esse ad alterum quantum ratio iustitiae patitur, quia in eo est distinctio naturarum, unde fit ut subsistens in vna, scilicet naturam humanam, possit satisfacere sibi vt subsistenti in diuina. Quod si in creatis requiratur suppositorum distinctio, id propterea contingit, quod in creatis sine tali distinctione non inueniatur distinctio naturarum, voluntatum & iurium.

Conf. non minor requiritur distinctio inter eum qui meretur & eum ad quem dirigitur meritum, quam ad satisfactionem: constat autem Christum per opera humanitatis fuisse promeritum, & ad meritum in eo suffecisse naturarum distinctionem.

Ad id quod dicitur non esse in Deo iustitiam strictae sumptae, Resp. non ita esse certum, & contrarium à varijs asserti, de quo tamen in 1. parte accuratius tractabimus.

Ex his patet aliquo modo dici posse Christum satisfecisse ex stricta & propria iustitia, quamquam si quis vim faciat in nomine & modo loquendi, satisfactio non videtur fuisse ex iustitia strictae sumptae prout eam accipit Aristoteles & communiter Philosophi ut doctè ostendit Lessius lib. 13. de diuinis perfectionibus cap. 2. vbi varijs rationibus ostendit inter Deum & hominem non intercedere iustitiam strictae sumptae, prout de ea loquuntur Philosophi. Quia creatura quidquid est, Dei est, & absque vlla iniuria in illam commissam Deus potest ei negare quod promissit, potestque etiam creatura in nihilum redigi. Adde quod inter Deum & creaturam non intercedat pactum proprietarium.

Isa. 53.

Dubium incidens.

Valentia, Lorca.

50.

Deus non fuit necessitatus ad acceptandam Christi satisfactionem, citra promissionem.

51.

Satisfactio Christi fuit sufficienter ad alterum.

Confirmari simili.

52.

Varij assentunt esse in Deo iustitiam strictae sumptae.

Satisfactio Christi non fuit ex iustitia stricta prout eam sumpsit Aristoteles.

Absequi iniuria potest Deus creaturam negare quod promissit.

Quamvis autem dicatur satisfactio Christi non fuisse stricta iustitiae, non multum refert, quia nihil perit laudis & excellentiae illi satisfactioni, nam habuit omnem eam excellentiam quam in suo ordine habere potuit, procedens ex summa erga Deum & erga genus humanum charitate, ex perfectissima erga Deum obedientia & voluntate eum honorandi, quae omnia motiva & alia potuit in suis actionibus spectare, ultra illud quo intendebat perfecte adaequalitatem peccatum generis humani compensare.

Corollar.

53.

Ex dictis his dubijs, vltius patet fuisse convenientissimum ad finem redemptionis humanae ut Deus hypostaticè vniretur naturae creatae rationali, imò necessarium ut homo perfecto modo reconciliaretur, cum nulla pura creatura potuerit offerre sufficiens pretium, quo compensaretur offensa & iniuria per peccatum Deo illata. Dixi naturae creatae rationali, non autem humanae, quia non requirebatur assumptio naturae humanae, sed sufficeret angelica, ut facile potest ex dictis colligi.

Conuenientissimè assumpta est natura humana; sic enim factum est ut homo qui victus fuerat, vinceret, quod ad quandam iustitiae perfectionem pertinuit. Secundo inde factum est ut homo haberet caput eiusdem naturae, quod ad eius excellentiam redundat, & inde excitatur ad spem concipiendam, & ad Deum redamandum.

ARTICVLVS III.

Utrum si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset?

54.

Sensus questionis,

Negat. Celebris est hæc difficultas inter Doctores. vbi

Notandum est non velle querere num si Adam non peccasset, Deus habuisset aliud decretum, quo decreuisset humanam carnem in alium finem assumere, cum de tali decreto non possit satis prudenter quidquam in alterutram partem colligi. Sed querunt utrum vi praesentis decreti, quo Deus statuit humanam naturam Verbo vnire, Deus fuisset incarnandus etiam seposito hominis peccato, quod virtute est querere, quodnam sit totale vel saltem principale particulare motiuum decreti Incarnationis.

Cum enim cessante totali, vel etiam principali motiuo alicuius decreti, ipsum decretum cessare debeat: constat si motiuum principale Incarnationis sit redemptio generis humani, homine non peccante Incarnationem non futuram: Si verò aliud fuerit, Deum incarnandam fuisse, etiam si Adam non peccasset, cum motiuum saltem principale incarnationis non fuisset ex eo sublatum, quod Adam non peccasset: permanente verò motiuo principali maneat decretum.

Referuntur 3. sententiae. 1. Affir.

Triplex est de praesenti quaestione sententia.

Prima asserit Deum ex vi praesentis decreti incarnandum etiam si homo non peccasset, eo quod mysterium Incarnationis propter intrinsecam perfectionem sit quoad substantiam praeor-

dinatum ante prauiersionem peccati. Teneo Scotus in 3. distinct. 7. quaest. 3. §. sed hic sunt distinct. 19. quaest. unica §. in ista quaestione. Et plures quos citat & sequitur Suarez disp. 5. sect. 2. concl. 1. & alij tum antiqui, tum recentiores qui docent Deum eo euentu non fuisse sumpturum carnem passibilem.

Secunda negat. D. Thom. hic, & communis eius discipuli. Vasques disp. 10. capit. 4. qui plurimos citat. Lessius disputatione de Christi praedestinatione sect. 1. Valentia tomo 4. disp. 1. quaest. 1. puncto 7. Lorca disp. 10. membro 2. nu. 25. Becanus de Incarnatione capit. 1. quaest. 6. & 7.

Tertia censet utramque partem probabilem: ita varij quos refert Lorca disp. 10. citata membro 1.

Resp. & dico videri probabilius quod si homo non peccasset, Deus non fuisset incarnandus; & quidem suppono quod non assumpsisset carnem passibilem, in quo videntur auctores conuenire. Prob. autem quod absolute non fuisset incarnandus. Sublato motiuo adequato vel saltem principali, ex quo Deus reipsa decreuit Incarnationem, praesens decretum de Incarnatione Verbi in Deo non fuisset; atqui si homo non peccasset, sublatum fuisset motiuum saltem principale Incarnationis, ergo minor prob. non potest nobis conuenientius innoscere motiuum quod Deus habuit decernendi Incarnationem Verbi, quam ex scriptura, traditione & Patribus, cum apta regula inuestigandi de eo quod Deus actu voluit, & propter quid voluit, sit scriptura, traditio & Patres. Atqui quantum ex his innoscitur, finis particularis Incarnationis fuit nostra redemptio, & reconciliatio cum Deo, ergo sublata hac necessitate reconciliationis & per consequens sublato peccato, sublatum fuisset motiuum saltem principale Incarnationis. Minor prob. ex Matth. 18. & Luc. 19. *Veni filius hominis querere & saluum facere quod perierat.* Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* 1. Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptio dignus, quod Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere.* His & plurimis alijs scripturae locis designatur motiuum Incarnationis fuisse redemptionem generis humani; ergo huiusmodi reparatio generis humani secundum scripturam fuit motiuum & causa saltem primaria Incarnationis. Dices id non sequi, quia hæc testimonia possunt intelligi de descensu in carne passibili, cuius motiuum fuerit nostra redemptio.

Resp. optime sequi, nec praedicta testimonia aptè ita restrictè intelligi, nam longè amplius vult Ioannes cap. 3. illis verbis: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c.* Quibus verbis Christus absolute dicitur venisse propter charitatem quâ Deus voluit peccatores reconciliare. Quod verum non est si fuerit alia aduentus causa. Conf. responsio simul & ratio: non videtur probabile quod Christus & Apostolus nunquam fecissent mentionem alterius causae, siquæ alia fuisset principalis.

Dices solū voluisse recensere causam extrinsecam, non autem illis curæ fuisse recensere intrinsecam causam ipsius mysterij, quod scilicet ipsum propter

intrinsicam

Scot. Suarez, & alij.

Secunda negat. S. Tho. Vasq. Less. Valent. Lorca. Becan.

3. Vtramque probabilem censet.

Conclus. negatiua. 55.

Finis particularis Incarnationis fuit nostra redemptio.

Prob. 1. ex script. Matth. 18. Luc. 19. Ioan. 3. 1. Tim. 1.

Contra.

Resp.

Euglio.

intrinsicam praestantiam sit ordinatum.

Respon. id videri dici minus commodè, cum ex nullo capite appareat scripturam voluisse recensere causam extrinsicam, tacitè alià principali. Conf. constat non obstante intrinsicè praestantià huius mysterij, Deum potuisse illud non decernere deficiente hominis peccato: cum ergo scriptura semper doceat peccatum hominis fuisse causam aduentus Christi, minus commodè dicitur quod solum voluerit agere de causa extrinseca, non verò adferre motiuium particulare, ipsius mysterij.

Prob. 2. ex symbolo Nicæno, vbi dicitur, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Vbi Incarnationis filij Dei nulla alia causa ponitur præter redemptionem generis humani.

Prob. 3. ex Patribus, qui interdum nostram redemptionem adferunt tamquam causam Incarnationis, interdum etiam negant Deum sumpturum carnem, si homo non peccasset: ex quo proinde sententijs & loquendi formulis datur intelligi sanctos Patres sensisse mysterium Incarnationis futurum non fuisse, quantum quidem est ex vi decreti quod Deus de facto habuit, si homo non peccasset.

Athanas. lib. de Incarnatione Verbi, Necessè enim est nobis differentibus de Salvatore nostro ad nos aduentu, etiam differere de hominum principio, ut cognoscat nostram culpam illi dedisse occasionem, ut descenderet, nostramque prænarrationem Verbi Dei humanitatem elucisse, ut ad nos contenderet & inter homines appareret Dominus. Illius enim incorporationis nos causam dedimus, & ob nostram salutem ita humanus exiit, ut in humano corpore esse vellet, & appareret. Serm. 3. contra Arianos longè à medio; Necessitas quippe indigentiae hominum anterior est quàm illius naturas, quâ sublatâ carnem non induisset. & infra, ceterum ut fieret homo nunquam destinatum fuisse, nisi hominum necessitas eius rei causam præbuisset. Ex his clarè patet Athanasium existimasse redemptionem generis humani ita fuisse causam proximam & motiuium Incarnationis filij Dei, ut eâ sublatâ ille carnem sumpturum non fuisset, & nostram indigentiam fuisse anteriorem Incarnatione etiam in mente diuinâ.

Nec solidè dici potest Athanasium solum non curasse aliam causam, & propterea nullam illius fecisse mentionem. Quia non tantum alterius causae non meminit, sed expressè aliam negat, dum dicit sublatâ indigentiam hominum filium Dei carnem non sumpturum, & hominem nunquam futurum, nisi hominum necessitas causam præbuisset.

Neque etiam dici potest quod solum velit filium Dei non venturum in carnem passibili. Quia eius sententia apertè sonat ipsum mysterium secundum suam substantiam non fuisse futurum: nec potest in alium sensum torqueri, nisi verbis vis inferatur.

Nazianzenus oratione 4. de Theologiâ, quæ est 36. Quæ autem humanitatis à Deo propter nos suscepta causa existit? profectò ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri possit? Hic etiam Nazianzenus satis apertè docet salutem generis humani fuisse motiuium Incarnationis filij Dei, & nullam aliam causam (scilicet particularem & non subordinatam) fuisse Incarnationis. Basil. hom. de humanâ Christi generatione: carnem

insecepit Deus, quoniam execrabilem contaminatamque hanc purgatam sanctamque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari, à Deo ob peccatum alienatam conciliari, & paradiso excedentem in caelum referri. Disce mysterium, propterea Deus in carne est, quia oportebat maledictam hanc carnem sanctificari. Ambros. lib. de Incarnationis dominicæ mysterio capit. 6. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccauerat per se redimeretur? August. serm. 9. de verbis Apostoli: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicina causa. Quibus postremis verbis non solum vult Christum non venturum in carne passibili, sed iuxta præcedentia, absolute non venturum, & quod tota ratio aduentus Christi fuerit ut peccatis nostris præberet medicinam. Concione 2. in psal. 36. explicans illud, à Domino gressus hominis diriguntur, ait: si tamen d homo non dimittes Deum, non fiet pro te Deus homo. Similia habet pluribus alijs locis passim citari solitis. Leo serm. 3. de pentecoste: Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in sua honore natura mansisset, nec diabolicâ fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam demisset, creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut equalis Deo patri filius Dei formam serui & similitudine carnis peccati assumeret. In qua sententia manifestè patet Leonem velle ipsam incarnationem secundum substantiam nullo modo futuram fuisse, si homo non peccasset; & proinde ultimis verbis non designatur solum filium non sumpturum carnem passibilem, sed absolute non sumpturum. Damasc. lib. 4. de fide capit. 4. Quoniam per mandati transgressionem imaginis diuinæ notas obscurauimus, atque deleuimus &c. aditèd eius quod deterius est, hoc est carnis nostræ particeps ipse efficitur.

Ex his & plurimis alijs sententijs patet ipsos partim non agnouisse aliam causam Incarnationis filij Dei, partim aliam negasse, neque posse absque vi illata explicari de aduentu in carne passibili.

Confirm. ijdem passim nos Acitant ad Dei amorem, ex eo quod is filium suum pro nobis in mundum miserit, quod amoris incentiuum magna saltem ex parte excluditur, si hoc mysterium fuerit independenter ab hominum peccato prædestinatum. Adde quod quemadmodum angeli non possunt dici facti propter homines, etiam si præuisso hominum peccato multi eorum fuerint in hominum custodiam deputati: ita mysterium Incarnationis non debuisset tam constanter dici peractum propter homines, si independenter ab illis & illorum peccato fuisset prædestinatum.

Ex quibus omnibus deducitur, rationem S. Th. pro subiecta materia esse optimam, scilicet in his in quibus de facto agitur non autem de possibili diuinam voluntatem non posse nobis innotescere, nisi ex scriptura, supple & traditione, & communi Patrum sensu. Ita ut si ex his principijs non possumus aduertere hoc mysterium futurum fuisse etiam homine non peccante, non debeamus propter paucas rationes apparentes id asserere. Cum ex eo quod ostendant hoc mysterium conuenienter potuisse peragi independenter ab hominum peccato, non aptè inferatur peractum fuisse, cum constet Deum ipotuisse innumera alia conuenienter facere præter ea quæ fecit.

Conf. non obstante eo quod mysterium Incarnationis potuerit conuenienter peragi propter intrinsecam perfectionem independentem à peccato, constat potuisse à Deo omitti: ergo non videtur posse ita solidè ex eo capite asserere futurum citra aliud aliquod principium; præsertim cum res hæc non consistat in subtilitate aliqua metaphysicâ. Adde quod quemadmodum videtur magna perfectio mundo adferri ex eo, quod Deus fiat homo; si tamen non spectetur alius finis, id videatur minus congruum Deo, cum per hoc mysterium Deus quodammodo seipsum exinaniat, dum creator fit creatura, & Dominus formam serui suscipit, quæ humiliatio non videtur satis compensari per exaltationem humanæ naturæ.

65.

Obiectio 1.
Ex Prou. 8.

Contrà tamen obijciunt. Prouerb. 8. pro eo quod habet vulgata, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, 70. habent, *Dominus creauit me initium viarum suarum*. quod multi Patres intelligunt de sapientiâ incarnatâ, vt Athan. serm. 3. contra Arianos. Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 12. Cyr. Alex. lib. 5. thesauri cap. 8. & plures alij quos citant Lorca membro 2. citato nu. 14. Suarez sect. 2. citatâ & alij. Vnde ex hoc loco sumitur argumentum: sapientiâ incarnatâ dicit se creatam in initio viarum Domini, quod dici nequit secundum executionem, cum plurima sint reipsâ producta antequam Dei filius carnem assumeret, ergo debet intelligi secundum prædestinationem: atque adeò mysterium Incarnationis secundum rationem est prædestinatum ante alia, & proinde futurum fuisset etiam homine non peccante.

66.

Resp.

Probabilissimus
sensus
litteralis loci
prouerb. 8.
adfertur.

Resp. hunc locum nihil omnino iuuare primam sententiam, si rectè consideretur. Nam sensus litteralis simplex & planus videtur esse is quem adfert Iansenius ibidem, nimirum quod ibi per quandâ propositiōem introducat sapientiâ in genere tamquam personam loquens de seipsâ, & mortales ad sui amorem adhortans ex consideratione excellentiæ illius, vt patet ex totâ capitis deductione, & inter alia eandem excellentiam ostendat, dicens quod Dominus eam ab initio possederit, seu acquisierit, & quasi primogenitam procreauerit, per quam & cum quâ cætera postmodum produxerit, nihil aliud per hoc designans, quàm Deum omnia produxisse ex summâ sapientiâ, & vt ita dicam, sapientiâ in rerum molitione Deum direxisse, sapientiâ in omnibus primas tenere, cuius honestas gloria & fructus sint inestimabiles. Consimili ratione potest explicari quod de eadem sapientiâ dicitur Ecclesiastici 24. *Ego ex ore altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam &c.*

Ecclesi. 24.

67.

Alia eius
loci explicatio.

Alia huius loci interpretatio est, quod intelligitur de Christo secundum diuinitatem, secundum quam à patre reipsâ est acquisitus & possessus per æternam generationem. Et hoc modo commodius accipitur, quàm de eodem secundum humanitatem: quia sapientiâ de seipsâ loquens, ait se conceptam ante abyssos, ante aquas &c. quæ minùs aptè solam prædestinationem designant, præsertim cum in scripturâ addatur, *cum eo eram cuncta componens*. Nec obstat quod 70. vertant, *creauit*, quia cum verbum *creare*, significet aliquid producere non præiacenti materiâ, potest etiam applicari æternæ generationi Verbi, licet non sit creatio strictè sumpta. Videri potest Bell. lib. 4. de Christo cap. 18.

68.

Quia tamen multi Patres eum locum intellexerunt de Christo secundum humanam naturam,

vt responderent Arianis eo ventibus ad impugnandam filij diuinitatem; videndum an iuxta illam interpretationem faueat authoribus primæ sententiæ: præsupposito tamen quod duæ expositiones iam allatæ textui sint longè conformiores, cum plurima quæ in prædicto loco afferuntur, non possint commodè applicari humanitati Christi spectatæ solam secundum esse obiectum in mente diuinâ; quo præsupposito.

Dico nihil fauere prædictæ sententiæ. 1. quia licet sequamur lectionem 70. eamque referamus ad Christum secundum humanitatem, optimè potest explicari quod Deus creauerit Christum secundum humanitatem in initium seu principium viarum suarum, id est, præcipuum opus suum, quamuis non creauerit nisi sumptâ occasione ex peccato.

2. Si referamus ad prædestinationem, non necessariò debemus explicare vel scripturam vel Patres, quod velint Christum secundum humanam naturam prædestinatum ante præordinationem rerum, sed commodè dici potest quod tantum velint eum prædestinatum ante ipsam actualem rerum productionem. Neque idcirco aliquid leue significatur de ipsâ Sapientiâ incarnatâ. Nam licet omnia sint ab æterno prædestinata: scriptura tamen id non solet promiscuè cuiusque rei in particulari tribuere, sed interdum quibusdam ad significandam specialem Dei curam & prouidentiam, atque adeò specialem amorem erga aliquos. Quâ ratione Apostolus ad Ephes. 1. dicit, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. 1. ad Cor. 2. loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam prædestinasti Deus ante secula.

3. Quia aliqui Patres versionem 70. referunt ad mysterium Incarnationis ex occasione peccati, explicantes scilicet prædictum locum in quo iuxta versionem 70. dicitur, *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua*. Neque velint Christum factum esse ante Dei opera, sed ad opera, id est, vt opera Dei redimeret, & ad cælos perduceret. Videri potest Athan. serm. 3. citato contra Arianos, qui fusè rem hanc pertractat.

Obijciunt 2. Ioan. 17. *Et nunc clarifica me tu pater apud te ipsum claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te; quæ verba, quam habui apud te*, Aug. tract. 105. in Ioannem, interpretatur de gloriâ humanitati præparatâ.

Verum dico ex hoc etiam loco primam sententiam non posse solidum sumere argumentum, cum penè cæteri Patres (qui videri possunt apud Toletum & Maldonatum ibidem) intelligant de claritate diuinitatis, hoc sensu; vt gloria diuinitatis quam filius apud Patrem ab æterno habuit humanitati communicetur, quæ peractâ humanâ redemptione peculiariter glorificetur tamquam natura eiusdem suppositi, cuius est ipsa diuinitas, id est tamquam etiam naturâ filij Dei. Potest etiam dici quod Christus in prædictâ sententiâ petat suam diuinitatem glorificari non in se, sed in hominum notitiâ & opinione, vt scilicet is, qui in humanâ naturâ fuit pro hominibus humiliatus, agnoscat ab hominibus, & vt Deus colatur. Quemadmodum dicitur Apoc. 5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem, &c.* Quo loco S. Ioannes vult significare agnum, qui occisus est, dignum esse vt agnoscat & colatur tamquam Deus. Videri possunt Tol. Et Mald. suprà & quamuis sequamur

Quamuis
locus Prou.
cit. intelligi
retur de
Christo
secundum
naturâ hu.
manâ: nō
tamen fauet
primæ sen-
tentiæ.

69.

Esse præde-
stinatum ab
æterno non
promiscuè
cuiusque
rei tribuitur
à scrip.

Eph. 1.
1. Cor. 2.

Athan.

70.
Obiectio 1.
ex Io. 17.

Resp.

Apoc. 5.

71.

mut expositionem Augustini, nihil fauet alteri sententiae, cum non dicat claritatem preparatam humanitati ante rerum ordinationem, sed solum velit preparatam ante actualem rerum effectio-

nem. Obijciunt 3. 1. ad Cor. 2. loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. Vbi videtur ponderandum quod non dicat, in redemptionem, sed in gloriam. Ex quo videtur deduci mysterium Incarnationis, de quo ibi agit Apostolus, fuisse praedestinatum in gloriam humanam naturam, & proinde filium Dei carnem sumpturum fuisse etiam hominem non peccante.

Resp. per mysterium, de quo ibi agit Apostolus aliquos intelligere mysterium crucis, iuxta id quod paulo ante dixerat: Non enim iudicavi me sine aliquo inter eos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Iuxta quem sensum constat ex praedicto loco Apostoli nihil confici, & quod dicitur sapientiam Dei praedestinatum in gloriam nostram, intelligi de gloria per Christi passionem acquirendam. Et quamvis intelligamus de mysterio Incarnationis (ut intelligunt multi, & nos supra de eo intelleximus) non apte inde deducitur intentum. Quia mysterium Incarnationis potest commode intelligi praedestinatum in gloriam nostram per crucem eius & passionem comparandum. Porro hunc esse scopum Apostoli, patet ex versu 2. eiusdem capituli.

Similitudine non videtur quod adfertur ex cap. 1. ad Ephel. qui benedixit nos in omni benedictione in caelestibus in Christo, & infra, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius &c. Posteriora enim verba non continent novum beneficium, sed Apostolus in his verbis per quandam recapitulationem eadem designat, vultque docere nos per Christi sanguinem redemptos, cuius merito consequimur omnem benedictionem spiritualem & caelestem: ita ut sanguis Christi pro nobis effusus, sit radix omnium beneficiorum & benedictionum spiritualium, quae a Deo nobis conceduntur. Conf. Apostolus agit de benedictione, quam Christus nobis promeruit, scilicet per sanguinis effusionem.

Obijciunt 4. ad Coloss. 1. Christus dicitur, primogenitus omnis creaturae, quod non intelligitur secundum divinam naturam, ergo secundum humanam. Non est autem primogenitus quoad executionem, ergo quoad praedestinationem; ergo mysterium Incarnationis fuit praedestinatum ante quolibet alia, & proinde futurum fuisset etiam hominem non peccante.

Resp. 1. negando eam sententiam non intelligi de Christo secundum naturam divinam, cum sequentia non apte illi tribuantur secundum quod est homo seu secundum humanam naturam, quod videlicet in ipso condita sint universa, quae in caelis & in terra, visibilia & invisibilia, siue throni, &c. omnia per ipsum & in ipso creata sint, &c. Dicitur autem etiam secundum divinam naturam primogenitus omnis creaturae, non per consortium eiusdem naturae, sed quod secundum divinam naturam ante omnem creaturam sit ab aeterno Patre genitus. Quemadmodum vero ratione divinae naturae est primogenitus omnis creaturae, ita loco citato ab Apostolo vocatur caput corporis Ecclesiae ratione naturae humanae, primogenitus ex mortuis. Vt scilicet tam secundum divinam naturam, quam secundum humanam sit in om-

nibus primatum tenens, tum in primo rerum ortu, tum in regeneratione. Videri potest Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 12. & Cornelius in hunc locum Apostoli.

Resp. 2. data etiam quod locus citatus intelligatur de Christo secundum naturam humanam, negando quod intelligatur de praedestinatione ante res alias, quasi Apostolus ibi velit Christum esse praedestinatum ante quolibet alia; nam optime potest intelligi de honore praelationis, hoc sensu; in quo (scilicet Christo) habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; id est, a quibuslibet alijs creaturis longe excellentior, eisque a Deo quoad honorem praelatus. quia scilicet idem qui est homo, simul verè est Deus, & natura humana in eo substantialiter Deo est unita, & euecta ad esse personale divinum, quod omnem excellentiam creatam superat.

Obijciunt ad Heb. 2. Decebat enim propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.

Resp. non esse legendum consummari, sed consummare, neque locum intelligi de Christo, sed de Patre; de quo Apostolus ait, quod decuerit consummare seu consecrare filium per varias tribulationes, & ita inducere in gloriam suam, quemadmodum alij sancti per varias passiones in gloriam adducti sunt: & haec ex scriptura.

Secundo loco possunt obijci aliqui Patres. 1. Cyr. lib. 5. thesauri cap. 8. dicens, Christum praesumdatum ante nos, & in ipso omnes super adificari, idque ante initium mundi.

Resp. ex toto capitis decursu patere, Cyrillum nolle mysterium Incarnationis praedestinatum independenter à peccato, sed solum velle tantam fuisse Dei misericordiam, ut antequam per peccatum laboreretur, praordinaret salutis nostrae fundamentum, & quidem adeo praestans, ut per illum possemus non tantum renouari & restaurari à ruina communis peccati, sed etiam possemus per ipsum reparari à proprijs peccatis. Vnde hic locus diligenter examinatus, potius fauet nostrae sententiae.

Commoda etiam est quorundam solutio & in re convenit cum iam allata, quod videlicet Christus in ratione Salvatoris ante nos sit fundatus, cum enim missus sit in redemptionem humani generis, & homines non aliunde quam per illum consequantur peccatorum remissionem & salutem; potest dici secundum eam considerationem praefundatus, seu praedestinatus priusquam homines efficaciter destinarentur ad gloriam.

Obijciunt 2. Aug. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 21. ubi indicat matrimonium in statu innocentiae fuisse sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia: ex quo sequitur Augustinum sentire etiam hominem non peccante filium Dei carnem sumpturum fuisse, cum matrimonium non posuisset esse signum coniunctionis illius cum Ecclesia, si carnem humanam non sumpsisset.

Quid Augustinus de praesenti quaestione senserit, videtur patere ex dictis. vnde, Resp. negando existimasse filium Dei incarnandum hominem non peccante, vel id sequi ex loco citato, non enim vult hominem non peccante coniunctionem maris & feminae futuram reipsa signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, sed solum ostendere pecca-

Resp. a.

75.

Christus quo sensu primogenitus omnis creaturae

Obiectio ex c. 2. ad Heb.

Respons.

76.

Obiectio ex Patrib. Cyrill.

Resp.

77.

August.

Resp.

	tum non propagari à bonis matrimonij, & inter cetera rationem sacramenti conuenisse matrimonio ante peccatum reipsa commissum, cum in paradiso de eo dictum sit, <i>relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erant duo in carne una</i> , quod Apostolus dicit magnum sacramentum in Christo & Ecclesia, quam tamen rationem signi non habuisset actu nisi præuiso peccato, licet quantum ex se est, illam habere potuisset.	tum alia dona spiritualia post peccatum receperit ex Christi meritis.	81.
78.	Obijciuntur rationes 1. hoc mysterium fuit Adamo reuelatum in statu innocentia, igitur futurum erat etiam eo statu permanente.	Obijciuntur 3. quod gloria Christi sit causa finalis nostræ iustificationis, ut tradit Trid. sess. 6. cap. 7.	Obijciuntur 3. ratio.
	Resp. 1. antecedens à quibusdam negari, Lessio disp. cit. sect. 2. nu. 26. & seqq. docente Adamum solum confusè intellexisse magnum aliquod mysterium contineri in formatione Eux ex suo latere, quo singularis Dei dilectio & coniunctio inter Deum & homines præsignaretur, & Patres hac ratione sufficienter explicari.	Resp. id non vrgere, quia Concilium non ait aduentum Christi seu substantiam mysterij Incarnationis esse causam finalem nostræ iustificationis, seu nos iustificari propter Christi aduentum, sed referri ad gloriam Christi, scilicet iam ordinati; nihil verò impedit quò minus filius Dei carnem sumperit ex occasione peccati, & ut nos redimeret, ita ut nostra redemptio, & cum Patre reconciliatio fuerit causa proxima & particularis aduentus Christi, & eadem reconciliatio & iustificatio in posteriori aliquo signo ordinata fuerit ad eiusdem Christi gloriam; quæ gloria quamuis sit quid excellentissimū, non mouisset Deum propter se solam, cum ut supra indicauimus, nisi aliquid habeat adiunctum, cui aliter, quam per Incarnationem perfectè succurri non possit, videatur minorem conuenientiam continere, quòd Deus fiat homo, & creator creatura. Et quamuis nihil contineret minus congruum, cum Deus non necessitetur ad extra, propter huiusmodi excellentiam mysterij, non est absque vrgenti aliqua ratione asserendum, quod tale mysterium decreuerit independentè à peccato. Conf. vno hypostatica Dei cum natura Angelica maximam continet excellentiam, quam tamen constat non esse à Deo decretam.	Resp.
79.	Resp. 2. concesso antecedente, negando consequens, id enim quòd posterius futurum est, & posterius ratione ordinatum, bene potest reuelari per modum obiecti non reuelato priori, quod est causa illius posterioris, ut varijs exemplis potest declarari. Quid enim repugnat alicui reuelari Petrum à Ioanne occurrentem non reuelatà eius causā, quod scilicet Ioannem verbis contumeliosis afficiet? Christus Petro reuelauit negationem non reuelatā negationis occasione. Prophetæ varia à Deo cognouerunt, quorum causas non videntur nosse. Vnde licet Adamo fuerit reuelatum mysterium Incarnationis non reuelato peccato, non aptè deducitur illud futurum fuisse homine non peccante.	Confirm.	82.
Instantia.	Dices non videtur subesse causa reuelandi hoc mysterium, nisi ut Adamus cognosceret Christum suæ salutis auctorem, & in eum crederet.	Obijciuntur 4. ordinatè volens prius vult finem, deinde id quod est fini propinquius; cū ergo opus Incarnationis sit excellentissimum, atque adeò propter suam excellentiam propinquius fini, scilicet Deo eiusque gloriæ, ad quam maximè conducit illud mysterium, Deus illud voluit ante alia; & quod sequitur, futurum fuisse etiam homine non peccante. Ad hoc argumentum quod videtur præcipuum primæ sententiæ	Obijciuntur 4. ratio.
Reijciuntur.	Resp. licet non possemus aliam assignare, non esse ad hanc confugiendum, quam neque ex scripturā, neque ex Patribus habemus. Dico tamen potuisse Deum hoc mysterium Adamo reuelare, ut eum ad sui amorem alliceret, eò quòd scilicet Deus carnem esset sumpturus, quamuis causam & occasionem mysterij tunc ignoraret.	Resp. 1. si quid concludat, plus concludere quam ab illo Catholico concedi possit, scilicet filium Dei carnem sumpturum, licet Deus nihil aliud crearet. 2. Deum non potuisse conuenienter velle mundum creare, nisi decerneret hoc mysterium, quod tamen falsum est.	Resp. 1.
Replica.	Dices extasis Adami fuit prior peccato eiusdem, & proinde prius ratione cognita.	Resp. 2. intendentem aliquem finem, non semper prius velle id quod perfectius, & eo sensu propinquius fini, sed posse velle etiam minus perfectum, nimirum iuxta modum, quo finem intendit. Hoc modo Deus volens suam gloriam declarare in mundi creatione, nulla ratione fuit necessitatus ad ea producenda quæ gloriam excellentissimè declararent, sed potuit sistere in productione rerum inferiorum iuxta suum beneplacitum.	Resp. 2.
Resp.	Resp. licet cognita fuerit prius futura in rerum naturā, in ratione tamen causa vel occasionis peccati prius fuisse cognitum; cum enim peccatum fuerit permixtum independentè ab illā, ea autem dependerit à peccato, sequitur quod peccatum prius ratione fuerit præuissum per modum occasionis, licet posterius in reipsa esset futurum.	Obijciuntur 5. quod videatur indecens rem tantæ dignitatis ordinari ad reparationem generis humani, & esse bonum quodammodo per accidens occasionatum.	83.
Obijciuntur 2. ratio.	Obijciuntur 2. quòd Christus sit causa prædestinationis etiam Adami, non solum ad gloriam, sed etiam ad gratiam, quæ ei concessa est in statu innocentia: cum ergo hæc nullo modo dependeret à peccato eiusdem, sequitur Verbi Incarnationem ab eodem peccato non pendere, & per consequens futuram fuisse etiam Adamo non peccantē.	Resp. licet secundum aliam sententiam filius Dei carnem sumpturus fuisset etiam non præuiso peccato, eo tamen præuiso ordinatus fuisset ad redemptionem generis humani absque vlla indecentia: potuit ergo absque eadem indecentia carnem sumere, ut genus humanum redimeret: vnde dico, quod licet Christus homo sit longè excellentior quam totum reliquum genus humanum, Deus tamen ex sua misericordia eum prædestinavit ut nos modo perfectissimo sibi reconciliaret: potest autem sine vlla indecentia res sublimior ordinari ad inferiora.	Obijciuntur 5. ratio.
	Valentia hic disp. 1. q. 1. puncto 7. §. porro ex his intelligitur, concesso antecedente videtur negare consequentiam, quæ tamen videtur legitimā.		
Resp.	Vnde respondeo negando antecedens pro eā parte, quā dicitur Christum fuisse causam gratiæ Adamo concessæ in statu innocentia, & dico Adamum eam habuisse independentè à meritis Christi, & independentè ab eisdem fuisse ad illam prædestinatum. Quamquam tum restitutionem illius,		

interiorem quando finis inferioris absque ea non potest acquiri. Quia non idcirco tota dignitas & excellentia illius estimatur ex habitudine ad inferiorem. Adde totum hoc mysterium vltimò referri ad Dei gloriam, quæ est bonum sublimissimum.

Ad aliud dico nullam dicere indecentiam quod sit bonum occasionatum modo explicato.

Ex his omnibus patet substantiam Incarnationis prædestinatam in signo rationis subsequente præuisionem absolutam peccati hominis, ita vt Deus videatur voluisse in primo signo rationis hominem creare in ordine ad vitam æternam ex meritis gratiæ consequendam, & ad illum finem eundem gratia ornare. In secundo permisit lapsum hominis. In tertio præiudicavit ipsum lapsum. In quarto voluit eum rursus ad salutem promouere, & ordinauerit remedium reconciliationis efficacissimum, scilicet Incarnationem filij sui, quem voluit in redemptionem generis humani in mundum mittere.

Vnde 1. non existimo Deum præordinasse Incarnationem ex sola notitia, quod homo peccare posset; quia ex vi talis decreti Deus fuisset incarnatus, quamuis homo nunquam peccasset, cum hæc notitia non inferat hominis peccatum.

2. Neque existimo hoc mysterium præordinatum ex sola scientia conditionali, quæ Deus nouit quibus positis circumstantijs homo peccasset, si illæ permitterentur; quia etiam cum tali notitia potest consistere quod homo non peccet, si nimirum non accedat voluntas permittendi peccatum; atque adeò ex vi talis decreti nostro modo concipiendi consequentis præscientiam conditionatam, Deus fuisset incarnatus, licet homo non peccasset. Præterea constat ex Patribus Christum prædestinatum in remedium peccati. Quod autem prædestinatur in remedium alicuius, videtur requirere absolute visionem eius quod indiget remedio. Quænammodum præmium in ratione præmij præexigit saltem præuisionem meritorum, ita remedium videtur præexigere absolutam præmotiōnem eius quod curari debet.

3. Existimo non fuisse talem dependētiā huius mysterij ad peccato, & vicissim peccati ab hoc mysterio, vt dici possint simul præordinata permissio peccati, & mysterium Incarnationis cum mutua dependentia, eo sensu, quod Deus non permisisset peccatum nisi voluisset de hoc remedio providere, & contra non voluisset filium suum in terras mittere, nisi voluisset peccatum permittere. Sed dico prius ratione permissum & præuisionem peccatum, & in sequenti signo ordinatum mysterium Incarnationis in illius remedium. Quia secundum Athan. serm. 3. contra Arianos, *nostra indigentia anterior est quam Christi natiuitas*; ergo saltem præuisionem peccati, & per consequens permissio, debet ratione præcedere decretum Incarnationis. Præterea nostra redemptio secundum Patres & eos auctores qui nobiscum sentiunt, est causa Incarnationis, ergo notitia lapsus hominis debet in mente diuina præcedere, cum id quod est alterius causa, prius debeat cognosci, quam id quod ad illud ordinatur.

ARTICVLVS IV.

Verum principalius Christi Incarnatio facta fuerit ad delendum peccatum originale quam actuale?

RESPONDET 1. Christum venisse ad delendum tam originale quam actuale. Est de fide. De fide enim est eum venisse vt nos æterno Patri reconciliaret, & aditum ad patriam cœlestem nobis referaret, quod fieri nequit absque condonatione peccati tam originalis quam actualis; ergo venit vt exhiberet sufficiens remedium contra peccatum originale & actuale. Idem patet ex scriptura, ad Rom. 4. *Qui traditus est propter delicta nostra. cap. 5. & non sicut per unum peccatum, ita & donum.* Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Hoc loco Apostolus opponit delictum primi parentis gratiæ Christi, quod vnum peccatum primi parentis in posteris sit transfusum, gratia autem Christi non tantum ab vno nos liberet. Et infra; *per vnius obedientiam, multi constituentur iusti.* Atqui ad iustitiam apud Deum comparandam non solum est necesse deleri originale, sed etiam actualia; igitur Christus promeruit reconciliationem etiam ab actualibus peccatis. 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.*

Respondet 2. Christum principalius venisse vt tolleretur peccatum originale: insinuat ad Rom. 5. & Ioan. 1. *Eccce Agnus Dei, ecce qui tollis peccatum mundi*, vt habent Græca & legunt plures Patres apud Toletum & Maldonatum in illum locum. Vbi videtur insinuari peccatum naturæ.

Ratio est quod licet illud peccatum videatur minus graue in se respectu cuiusque posterij Adami, quam actuale, tamen propter suam vniuersalitatem noceat toti humano generi, illudque inficiat, & sit quodammodo radix & causa innumerorum peccatorum actualium. Cum ergo Christus venerit ad genus humanum reconciliandum, dicendum principalius venisse ad tollendum peccatum totius naturæ.

Adde illud peccatum in posteris Adæ esse minus voluntarium, quam actualia eorum peccata. Quamuis autem peccatum actuale sit intensius grauior Dei offensæ, peccatum tamen originale sua vniuersalitate pluribus nocet, quos etiam absque vilo suo demerito arceat à gloria cœlesti, & proinde congruum fuit vt illius deletio principalis intenderetur.

Ex quo deducitur, quod licet posterij Adæ nullum commississent peccatum actuale, sed solum contraxissent originale; nihilominus Deus carnem sumpsisset, quia nihilominus tota natura fuisset infecta. Præterea scriptura & Patres satis indicant primariam causam Incarnationis fuisse deletionem illius peccati. Cum ergo etiam data illa hypothese remansisset primarium motiūm propter quod Deus voluit incarnari, idem decretum permansisset.

Peti verò potest, an si è contrario non fuisset peccatum originale, fuissent tamen actualia, Deus carnem sumpturus fuisset? aliqui vniuersim censent sumpturum carnem si vel vnus mortaliter peccasset. Aliqui negant quidem eo casu venturum, affirmant tamen si plures lapsi fuissent. Alij negant vterutrum fuisse si soli reprobi lapsi fuissent: allerunt

88.

Christus venit ad delendum tam origin. quā actuale.

Rom 4. & 5.

1. Ioan. 1.

89.

Principalis propter originale. Rom. 5. Ioan. 1.

Ratio.

Originale est peccatum naturæ.

Confirm.

90.

Coroll.

afferunt verò venturum, si peccassent prædestinati. Alij aliter censent.

Videtur probabilius Christum non venturum, si fuissent sola peccata actualia.

92.

Quamuis autem nihil certò possit in alterutram partem constitui, videtur probabilius dicendum vniuersaliter Christum non venturum fuisse, si fuissent sola peccata actualia, siue venialia, siue mortalia; nam scriptura & Patres insinuant primariam causam & occasionem aduentus Christi fuisse peccatum naturæ, ad cuius deletionem primario venit, & ut ea nobis restituerentur, quibus propter peccatum originale eramus priuati: secundario autem, ut si in peccatum laberemur, mereretur nobis, ut possemus resurgere per penitentiam. Ergo deficiente peccato, quod in omnes posteros foret transfundendum, defecisset motuum primarium decreti Incarnationis, quod Deus reipsa habuit; & proinde verius est eo casu Christum non fuisse venturum. Est tamen verisimile Deum alijs modis prouidurum ijs, qui in peccatum lapsi fuissent.

93.

Satisfit Patribus, qui in contrarium adferuntur.

Nec obstant dicta quorundam Patrum, qui videntur docere Christum pro vnoquoque venisse &c. quia nolunt docere quod fuisset venturus si fuissent sola peccata actualia, sed quod reipsa venisset pro delendis singulorum peccatis, quia deletio peccatorum actualium saltem pertinet ad finem secundarium Incarnationis. Nec amplius vult Apostolus ad Gal. 2. dicens, *qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me*. Vult enim Christum se ipsum reipsa tradidisse pro delendis etiam peccatis actualibus hominum, & ita posse singulis prodesse, ac si pro illis solis venisset. Vnde singuli non minores gratias Deo agere debent, quam si pro illis solis Verbum carni sumpsisset.

Quod de Sancto Carpo afferri solet, non vrget: quia Christus solum ei dixit se paratum iterum pro hominibus pati, si opus foret: in quo solum declarauit animi sui promptitudinem, non verò quid reipsa futurum esset, non existente peccato originali.

ARTICVLVS V.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi?

Resp. neg.

NEGAT, quod probat aliquot congruentijs. Vbi

94.

Incarnatio conuenienter peracta post peccatum, non tamen statim post.

Notandum doctrinam S. Th. ad hoc tendere, ut ostendat Deo non defuisse congruentias propter quas hoc mysterium non statim in initio mundi perageret: & docet 1. fuisse conueniens ut perageretur post peccatum, cum filius Dei esset mittendus in mundum ad reparationem generis humani: medicina autem non solet præberi nisi infirmis.

2. Docet fuisse etiam conueniens, ut non statim post peccatum perageretur; quia decuit hoc mysterium aliquandiu ante annuntiari, & præmitti eius præcones, ut homines ad illius desiderium excitarentur; & maiori cum reuerentia regem venturum susciperent. Item ut hac dilatione homo humiliatus agnosceret se liberatore indigere. Ut iuxta conuenientem procedendi modum homo paulatim in bono promoueretur. res est facilis. Videri potest S. Thomas.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Incarnatio differri debuerit vsque ad finem mundi?

95.

NEGAT; quod ostendit tribus congruentijs. 1. quod causa non debeat esse postrema; filius autem Dei incarnatus sit causa salutis humanæ. 2. quia si hoc mysterium dilatum fuisset vsque ad finem mundi; Dei notitia & reuerentia, morumque honestas intercidisset, ita ut vix ulli Christum receperissent. 3. quia sic commodius salus obtingit, dum multi iustificantur per fidem præsentis vel præteriti. Vnde Christus conuenienter venit in medio temporis, iuxta illud Habacuc 3. *Domine opus tuum in medio annorum* &c. &c. &c.

Dices Isa. 2. dicitur, *erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini*. Quibus verbis designatur Christus, super quem Ecclesia edificabitur, venturus; idque in nouissimis diebus. Similia habentur Michæ 4. & alibi.

Resp. ijs locis non designari Incarnationem differendam vsque ad finem mundi, ut manifestum est: sed primò Prophetas ita loqui, quod tantum beneficium non esset illorum temporibus humano generi exhibendum, sed futurum. Secundò quia in scriptura totum tempus gratiæ & legis Evangelicæ dicitur ætas nouissima, eo quod nulla alia in hoc sæculo ei succedat, sed eius ceremonia, sacramenta, sacrificium, vsque ad finem mundi sint duratura.

QVÆSTIO II.

De modo vnionis Verbi incarnati.

EXPLICATA quæstione an sit, in qua S. Thom. tractauit de conuenientia & necessitate Incarnationis, incipit tractare quæstionem quid sit. Cum autem vnio dicat ordinem ad terminos, primis articulis agit de terminis vnionis, non quidem inter quos ipsa vnio versetur (de quibus agit quæstionibus sequentibus) sed de terminis resultantibus ex ipsis rebus per Incarnationem sibi inuicem coniunctis.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura?

VT ex iam dictis colligi potest, & ex toto discursu articuli in corpore, S. Thom. hoc articulo querit, num per Incarnationem ex vnione Verbi & naturæ humanæ, constituta fuerit vna natura.

Respondet negatiue, quod probat: tripliciter potest vnum ex duobus vel pluribus constitui. Vno modo ex duobus integris perfectis remanentibus. Huc modum excludit, quod terminus ex tali vnione exurgens sit vnum per accidens, & non sit simpliciter quid vnum, sed plura; & ita non constituitur vna natura. Assumptum probat, vnio talium rerum solum consistit in compositione earum, seu

in eo

Neque differri debuit vsque ad finem mundi.

Obiectio. Ex Isa. 2. & Mich. 4.

Resp.

96.

Totum tempus gratiæ, ætas nouissima.

1.

Sæsus quæstionis.

2.

Vnio non est facta in natura.

Tripliter concipi potest ex duobus fieri vna natura.